




DA 750.B2 NO 1 V2



a31188000452504b

157 Vols

4 *Parvus et Ego. Bannadine*
 Lacking *Parvus et Ego* *Damey Ancient* *Sed. M. Doolin*
~~88~~ *Sault. Man of Angus*
 112 *John Knox Works* *Vol 6 in 2 pls*
 117 *Bannadine Albums*

CALL No.	
DA	<u>Mylne, Alexander.</u>
750	
B2	<u>Vitar Dvinkeldensis</u>
no.1	
v.2	<u>ecclesiae episcoporum.</u>
<p>THE LIBRARY</p>  <p>UNIVERSITY OF GUELPH</p> <p>Arts Division</p>	


✓





VITAE

INSTITUTIONES



INSTITUTIONES
DE
MORALI PHILOSOPHIA
AUCTORITATE
S. S. S. S.

INSTITUTIONES
DE
MORALI PHILOSOPHIA
AUCTORITATE
S. S. S. S.

INSTITUTIONES
DE
MORALI PHILOSOPHIA
AUCTORITATE
S. S. S. S.

VITAE
DVNKELDENSIS ECCLESIAE
EPISCOPORVM,

A PRIMA SEDIS FVNDATIONE,

AD ANNVM M.D.XV.

AB ALEXANDRO MYLN,
EIVSDEM ECCLESIAE CANONICO,
CONSCRIPTAE.

IMPRESSVM EDINBVRGI,

M.DCCC.XXIII.

1823.

TYPIS JAC. BALLANTYNE ET SOC.

THE LIBRARY
UNIVERSITY OF GUELPH

AT a Meeting of the Committee of Management of the BANNA-
TYNE CLUB, held at Edinburgh, in the house of the President,
on the 4th day of July, 1823,

RESOLVED, That "THE LIVES OF THE BISHOPS OF DUN-
KELD," written by ALEXANDER MYLN, one of the Canons of
that Church, afterwards Abbot of Cambuskenneth, and first Presi-
dent of the College of Justice, of which the Original Manuscript
is preserved in the Library of the Faculty of Advocates, be Printed
for the Use of the Members of the Club, under the superintend-
ance of the VICE-PRESIDENT ; and that Fac-Simile Engravings
of the first Page of the Manuscript, and of the Coats-of-Arms
prefixed to it, be prepared for Insertion in the printed Volume.

DAVID LAING, Secretary.

THE BANNATYNE CLUB,

FEBRUARY MDCCCXXIII.

SIR WALTER SCOTT, BART.

President.

THOMAS THOMSON, ESQ. VICE-PRESIDENT,
THE LORD CHIEF BARON OF SCOTLAND,
THE LORD CHIEF COMMISSIONER OF THE JURY COURT,
LORD BANNATYNE,
LORD ELDIN,
SIR WILLIAM ARBUTHNOT, BART.
JAMES BALLANTYNE, ESQ.
ROBERT BELL, ESQ.
HENRY COCKBURN, ESQ.
ARCHIBALD CONSTABLE, ESQ.
DAVID CONSTABLE, ESQ.
ROBERT DUNDAS, ESQ.
ROBERT GRAHAM, ESQ.
HENRY JARDINE, ESQ.
THOMAS KINNEAR, ESQ.
DAVID LAING, ESQ.
REVEREND DOCTOR JOHN LEE,
JAMES MAIDMENT, ESQ.
GILBERT LAING MEASON, ESQ.
JOHN ARCHIBALD MURRAY, ESQ.
ROBERT PITCAIRN, ESQ.
JAMES SKENE, ESQ.
GEORGE SMYTHE, ESQ.
PATRICK FRASER TYTLER, ESQ.

MEMBERS ADMITTED

25TH NOVEMBER, 1823.

THE EARL OF MINTO,
GEORGE CHALMERS, ESQ.
WILLIAM BLAIR, ESQ.
J. T. GIBSON CRAIG, ESQ. JUN.
ANDREW SKENE, ESQ.
THOMAS MAITLAND, ESQ.


McLair HZONTM



Reuerend i

xpo patri et dno
dno garono dia
fanente clemencia
dukebsen cathie
epo diminas et hna

nas trias docto Illustris Arthibald
angustiaz comitis filio. Spectabilis
qz et egregys vnus. Magus et dnis
illius cathie canonicus. Georgeo hep
burij decano nobilidom de halis fi
lio prudentissimo. Iacobo fentom
ex filio dmi de fentom nepoti pa
truo paniter. Cancellario stotorn
regis secretario et oratori lepidiss
mo. Waltero suall thesaurario ar
chiscriptori et magne honestatis
vno. Georgeo fezy arthidiatouo ve
nerande memorie georgij bromy ep
ex sorore nepoti. Dand abricinby
subdecano dmi de Mynthlie filio
pmogenito iustissimissimo Ro
berto schalbe sutentori in medici
nis doctore Roberto bofwell dno
fongort dmi de halmo vno filio



VITÆ
EPISCOPORUM DUNKELDENSIIUM.

REVERENDO in Christo patri et domino, domino Gawino divina favente clementia Dunkeldensis ecclesiæ episcopo, divinas et humanas literas docto, illustris Archibaldi Angusiarum comitis filio; Spectabilibusque et egregiis viris magistris et dominis illius ecclesiæ canonicis; Georgio Hepburne decano, nobilis domini de Halis filio prudentissimo; Jacobo Fentoun, ex filio domini de Fentoun nepoti; Patricio Paniter cancellario, Scotorum regis secretario et oratori lepidissimo; Waltero Small thesaurario, archiscriptori et magnæ honestatis viro; Georgio Ferne archidiacono, venerande memorie Georgii Broune episcopi ex sorore nepoti; David Abircrumby subdecano, domini de Murthlie filio primogenito, jurisconsultissimo; Roberto Schawe succentori, in medi-

cinis doctori ; Roberto Boswell domino Fongort, domini de Balmowto filio, liberali et magnarum expensarum viro ; David Wau- chop de Ruffill prebendato, in utroque jure licenciato ; Andree Stewart de Cragyne, Johannis comitis Atholie germano, illiusque contemplatione in episcopum Dunkeldensem postulato ; Johanni Lacok de Capeth Makcathall, viro fidissimo ; Alexandro Moncreif de Creif, jurisconsulto multum experto ; Waltero Leslie de Menmure, ex utroque parente nobili, et in jure canonico tam literis quam praxi perdocto et illuminato ; Jacobo Lyn de Forgundyny, sacre theologie baccallario et predicatori sapientique viro ; Willielmo Lyndesay de Inchmachnach, domus Rossie in Fyff primogenito ; Willielmo Irland de Mukkersy, nonminus prudenti et docto quam devoto ; David Broune de Ferne, dicti domini Georgii episcopi ex sororibus consobrino, sacrarumque literarum baccallario ; Jacobo Lyn de Aberlady ; Thomæ Greig de Alith, pro divini cultus instauratione zeloso, et patrifamilias generisque sui auctori cupidissimo ; Willielmo Moncur de Lundeiff, fratri domini Balluny ; et Johanni Stephani de Ferdischawe, in musica arte et organorum ludo illic preceptoris ; tempore dicti domini Georgii episcopi in prefatam ecclesiam promotis ; ALEXANDER MYLN dictæ ecclesiæ canonicus, de Monythly prebendatus et officialis licet immeritus, gaudium et divini cultus augmentum loco salutis.

VESTRÆ SPLENDOR ecclesiæ is est, domini et patres mei amplissimi, fundatorum episcoporumque justitia ac morum sanctitas, ut nemo vestrum sit rerum humanarum tam negligens, qui vestræ sedis originem et ejus incrementa non cupiat vehementer cognoscere. Ego inter dictæ ecclesiæ canonicos minimus, predicti Georgii antistitis vestri servitor humilis, magnificentissimo ecclesiæ apparatu, et ecclesiasticorum in divino presertim cultu per annos plurimos ordine inspecto, incredibilis cupiditas Indies animum incessit, cognoscendi qui tantæ ecclesiasticæ honestatis devotionis pariter et regiminis conditores fuissent: Quos ex hiis summos fuisse viros arbitrabar, qui tam speciosam tam preclare fundatam, ex lapidibus sectis pariter et vivis, posteris reliquissent ecclesiam. Hoc inquirendum studui ex antiquitatibus ecclesiæ; in cronicis etiam regni incidi; et quæ ex eis rimare nequiveram, apud cœnobiorum registra literis egi, et pontificum nomina inde lucidius intellexi. Iniquo enim tuli animo, ecclesiam tam clarissimam, doctissimis etiam viris ibidem prefectis decoratam, nullum ad eam diem vel mediocrem scriptorem fuisse sortitam. Et licet inter vos eruditissimi sint, qui rem per me aggrendum optime et absque comparatione peragere sciant; quia tamen hec res hactenus neglecta est, mihi tamen agresti et inculto scriptori vehemens vestræ ecclesiæ dilectio, et illius sublimitatis ardor, scribendi ausum prestite-

runt et ortum ; non ut scribenda ex me aliquam habeant auctoritatem ; sed lima vestrum tersa (sicut vestro visum fuerit iudicio) quæ minus bene dicta sunt resecentur, et reliqua retineantur ; me in hoc vestris subdens correctionibus.

SCRIPTURUM me de vestræ sedis initio, oportet primo retexere qualiter Constantinus Pictorum rex tertius, divo Columbæ totius tunc regni patrono devotus, monasterium insigne super ripam fluminis Tayensis, in locis illis quæ nunc occupatis, vos reverende pater, pro orto orientali, et vos Alexander pro mansione de Creif, in ejusdem divi Columbe honorem, ad sancti Adampani instantiam construxit et dotavit ; circa annos domini septingentos viginti novem ; post constructam ecclesiam de Abernethi, ad annos ducentos viginti sex, novem menses et sex dies ; ac ut aliorum est opinio, ducentos quadraginta quatuor. In quo quidem monasterio imposuit viros religiosos, quos nominavit vulgus *Kelledeos*, aliter colideos, hoc est, colentes Deum ; habentes tamen, secundum orientalis ecclesiæ ritum conjuges, a quibus dum vicissim ministrarunt ; abstinebant sicut postea in ecclesia beati Reguli, nunc Sancti Andreae, consuetum tunc fuit. Sed dum placuit altissimo totius christianæ religionis moderatori, crescenteque principum devotione et sanctitate, David rex sanctus, junior filiorum Mal-

colmi Canmor regis et sanctæ Margaretæ reginæ, mutato monasterio, in ecclesiam cathedralem erexit; et repudiatis Kelledeis, episcopum et canonicos instituit, seculareque collegium in futurum esse ordinavit, circa annos domini mille centum et viginti septem. A. D. 1127. Primus tunc episcopus, illius pro tempore monasterii abbas, et Regis postea consiliarius, erat

GREGORIUS, cujus contemplatione David rex Scotiæ sanctus concessit ecclesiæ Dunkeldensi, dicto episcopo et suæ mensæ episcopali, terras de Outhertule et triginta prebendas, prout in carta dicti sancti Davidis regis continetur. Hic Gregorius impetravit a Papa Alexandro tertio, protectionem apostolicam sibi et ecclesiæ suæ in strictissima forma, cum specificacione omnium possessionum tunc temporis habitarum. Et dedit ecclesiam de Rettray cuidam, Quasdub nomine, succentori Dunkeldensi assignatam. Et cum rexisset ecclesiam Dunkeldensem episcopus circiter annos quadraginta duos, in senectute bona, anno tercio regis Willelmi obiit, anno domini millesimo centesimo sexagesimo nono. Cui A. D. 1169. successit

RICARDUS capellanus regis Willelmi, consecratus in vigilia sancti Laurentii, in ecclesia Sancti Andreae, (quæ antiqua nunc dicitur) per Ricardum episcopum Sancti Andreae. Iste Ricardus liberavit ecclesiam de Abircorn a jure patronatus Johannis Ave-
nele; et bonis operibus plenus, cum rexisset ecclesiam annos circiter quatuor, obiit apud Crawmund; et in insula Sancti Columbæ

A. D. 1173. sepultus est, anno domini millesimo centesimo septuagesimo tertio. Cui successit

CORMACUS, cujus contemplatione Willelmus rex dedit sibi et ecclesiæ suæ terras de Dulgus, decimam de cana regis de prebenda de palaciis, de brasio de regiis dominiis ac maneriis, per-

A. D. 1174. tinen. ad abbaciam de Dunkeld; et obiit circa annos domini millecentum septuaginta quatuor. Cui successit

WALTERUS DE BIDON, Regis Willelmi cancellarius, conse-

A. D. 1178. cratus anno domini millesimo centesimo septuagesimo octavo; qui plenus dierum et bonis operibus curial. obiit. Cui successit

JOHANNES cognomento Scotus, natione tamen Anglicus, qui antea Sancti Andreae archidiaconus, in episcopum ejusdem est electus, anno domini millesimo centesimo sexagesimo septimo. Rex tamen Willelmus illi electioni dissentiit, et quod nunquam ad illum episcopatum admitteretur per brachium Sancti Jacobi juravit; capellanumque suum Hugonem regia auctoritate consecrari fecit; quia dictus Johannes natione Anglicus erat, et natus in villa de Podoth. Hic Johannes, postquam a scholis Parisiis reversus, devotione instigante, limina apostoli Sancti Andreae visitavit, et ab episcopo benigne susceptus, non multum post in archidiaconum, et mortuo Ricardo Sancti Andreae episcopo, qui fuerat capellanus Malcolmi regis, in episcopum est electus: cui restitit rex Willelmus predictus, et tam eum quam suos exilio dampnavit: Quod patienter sustinens, Papam Alexandrum tertium adiit, casum retulit; quo audito, Papa eum confirmavit et Scotiam remisit, ac secum Alexem diaconum Cardinalem nuncium misit, qui vix rege permittente recepti: Et ni resisteret dictus Johannes Sancti Andreae episcopus, clericos regis excommunicasset et diocesim interdixisset: Sed convocato prelatorum consilio apud monasterium Sanctae Crucis, dictum Johannem Sancti Andreae episcopum confirmatum, per Matheum episcopum Aberdonensem consecrari fecit;

indignationem tamen regis sufferre non valens, Romam repediavit. Ac ubi Papa commotus voluit Scotiam interdicere, episcopus Johannes Papam suis precibus mitigavit, mallens renunciare juri suo quam unam missam impedire; et sic in curia septennio stetit. Interim vacante ecclesia Dunkeldensi, consensu regio ad eam preficitur. Hic divisit diocesim Dunkeldensem, et per literas suas a Papa obtinuit, ut Eraldus ejus capellanus Ergadiensis fieret episcopus. Tandem plenus virtutibus in senectute bona moritur: In choro monasteriali de Newbottill, anno domini millesimo ducentesimo tercio, postquam xxv annis sedisset, ad partem borealem sepultus est, ubi claret miraculis: Cujus vitam scripsit Willelmus Benyng dictæ domus Prior postea Abbas de Cupro; cujus divi episcopi ego visitavi sepulchrum hoc habens epithaphium, “ Presul propicius miseris succurre Johannes, Qui crebris opibus morbos cum crimine delis.” Si quis amplius de hujus sancti episcopi vita indagare voluerit, legat libellum quem scripsit magnus ille Thomas Lawder sedis predictæ episcopus, in uno volumine cum vita Sancti Columbæ colligatum. Cui successit

JOHANNES DE LACESTER cognatus Regis Willelmi, qui postquam annis undecim pontifex sedisset, apud Crawmund obiit,

et in monasterio Sancti Columbæ insulæ de Emonia, sicut Ricardus de Prebenda ejus prædecessor, sepultus est, anno domini millesimo A. D. 1214. ducentesimo decimo quarto. Cui successit

HUGO, dictus Hugo de Sigillo, monachus de Arbroth. Hic vir mansuetissimus fuit, pia apud pauperes viscera gerens, adeo ut pauperum episcopus dictus est; sed cum nondum anno uno cathedram rexisset, octavo Idus Januarii obiit. Et ei successit

GILBERTUS episcopus, qui sedit annis viginti duobus, mortuusque est, et sepultus in insula Emonia, anno domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto, dominica quæ dicitur In albis. Cui A. D. 1236. successit

GALFRIDUS, vir in servitio divino zelosus: post episcopatum divisum, novam fecit erectionem ad instar ecclesiæ Sarum. Hic vir, propter suam probitatem, in episcopum Sancti Andreae, post decessum Willielmi Malwesey, anno domini millesimo ducentesi-

mo trigesimo octavo, est postulatus ; sed quia nec Papæ nec Regis favores obtinuit, episcopus Dunkeldensis remansit, et cassata postulatione, eligitur David Bunhame camerarius Alexandri regis secundi. Hic Galfridus dedit decano ecclesias de Inchcadin et Clony ; et ad ornamenta majoris altaris dedit terras de Mekilmore ; et dedit ad communias canonicorum residentium, ecclesias de Vtherhouse, Sawling, capellam de Branbawe ; et confirmavit ecclesiam de Fertherkill, datam per Alexandrum Regem eisdem canonicis et communiis. Similiter dedit eisdem decem mercas annuæ pensionis ecclesiæ de Creif, priusquam illam in præbendam erigere voluit : Ante cuius tempora canonici pauci apud ecclesiam Dunkeldensem residebant, nec ibidem divinum officium cantu Gregoriano celebratum fuit ; et ideo ut residentes in bono numero fierent, communias quas eis largitus est taliter qualificavit, ut canonici alii quam continuo residentes participes minime fierent ; semper ad honorem Dei et ecclesiæ decorem intentus, illius sustentationem auxit ; et de piscaria sua de Perth duas petras ceræ pro annuali reddito ad lumen majoris altaris contulit ; et compositionem fecit cum abbate et conventu de Cambuskynneth, pro decimis de Dougly, infra parochiam de Forgundyny ; postremo pacificavit terras ecclesiasticas de Megill, perambulationem faciens cum Fulcone domino ejusdem. Tandem plenus dierum et bonis operibus, in die Sanctæ Cecilie, apud Ti-

bermure moritur, et in Dunkelden, in antiqua ecclesia quæ fuerat monasterialis tumulatur, anno domini millesimo ducesimo qua- A. D. 1249.
dragesimo nono; cujus est hoc epitaphium, “ Hic, Dunkeldensis cleri decus, egis, et ensis, Galfridus tumba pausat sub patre Columba.” Cui per regem nominatus successit

RICARDUS, Regis Cancellarius, et dum sedisset pontifex anno uno, mortuus est apud Crawmund, et sepultus est in insula sancti Columbæ de Emonia, anno domini millesimo ducesimo quin- A. D. 1250.
quagesimo. Cui per favores regis successit

MAGISTER RICARDUS de Inuerkething, Camerarius Scotiæ, grandævus, justus et fidissimus Regis consiliarius: Cum annis viginti duobus cathedram rexisset, die sancti Magni martiris obiit; cujus corpus Dunkelden, et cor in aquilonari pariete in choro ecclesiæ sancti Columbæ de Emonia, quam ecclesiam ipse prius construxerat, collocatur, anno domini millesimo ducesimo septua- A. D. 1272.
gesimo secundo. Cui per electionem successit

ROBERTUS de Stutiwillis, vir nobilis, moribus, scientia et vita preclarus, tunc prædictæ ecclesiæ decanus, qui propter ejus probitatem, nobilitatem et prudentiam, prius erat electus in episcopum Sancti Andreae, anno domini millesimo ducesimo quinquagesimo tercio; sed contradicente Alexandro Rege tertio, magister Abell, archidiaconus Sancti Andreae, per supplicationem regiam apud Papam prævaluit: Et cum sedem Dunkeldensem annis viginti octo egregie rexisset, mortuus est, anno domini millesimo trecentesimo. Cui per electionem successit

A. D. 1300.

MATHEUS, qui per Anglos institutus est, tempore Roberti Harcas vicecomitis de Perth, quem sanctus Michael interfecit in le Dardrois furd, propter injurias canonicis suis illatas; qui cum

A. D. 1312. ibidem sedisset annis duodecim, obiit anno domini millesimo trecentesimo duodecimo. Cui per electionem successit

WILLELMUS de Sancto Claro, avunculus Willelmi Domini Bissat et Glascone, anno domini millesimo trecentesimo duodecimo. Hic vir nobilis erat et magnanimus, ecclesiæque pugil, et rei pub-

licæ regni virilis pro posse defensor ; et consecrationis suæ anno sexto, conduxit Magistrum Robertum Cementarium ad opus chori et ecclesiæ, quem a fundamentis construxit ; et in sui operis signum, crucem virgatam super gabellam orientalem posuit, quam ejus domus et cognomen pro arnis habent usque in hodiernum diem ; suamque sepulturam ad gradum presbiterii in medio chori elegit, ubi sepelitur ejus corpus, lapide marmoreo clausum ; ejusque ymago ibidem de alabastro decenti locata fuit ; sed ne casu aliquo destrueretur, aut foret impedimento circa altare, in solempnibus actis aut synodo, nunc ad occidentalem partem borealis fenestræ chori, proxima majori altari ad pedes decenter erigitur. Apud hunc pontificem tunc Tybermure commorantem, venit dominus Finlaius monachus de Y Callumkill monasterio, in abbatem electus, pro confirmatione ordinaria ; quem Regis Roberti precibus in abbatem confirmavit, et cuicumque episcopo eum benedicendi facultatem concessit, obligationemque monasterii obtinuit pro sexties viginti marcis ad chori fabricam solvendis. Iste etiam pontifex considerans fructus sui archidiaconatus nimis exiles, univit Archidiaconatui Dunkeldensi, ecclesiam de Logynalloquhy ; et dedit ecclesiæ de Litol Dounkeld, glebam quam nunc possidet vicarius pensionarius ejusdem. Iste etiam pontifex venerandus, prudentia et expensis suis redemit a Symone Halden, terras de Grenach prope

Striveling, jacentes in parochia de Lecrop. Legitur etiam in chronicis, de prædicto antistite nobili et magnanimo, existente in palatio suo de Outhertule, vicecomes de Fyff cum turma quingentorum armatorum ad Anglos expellendos supervenit; sed percipiens Anglos intrepide super rurales desævire, retortis habenis fugæ consuluit. Auditis hiis, episcopus se cito arnavit, equum ascendit cum sexaginta suis ad prælium doctis, et cito obvium habuit vicecomitem, cui clara voce dixit, “Cur tam vecorditer revertitis?” respondit vicecomes, “Quia Angli plures nobis sunt, et multo fortiores;” respondit episcopus, “Dignum certe esset, Regi calcaria deaurata a talis vestris præscindi mandare; sequimini me, et in nomine Domini (sancto Columba patrocinate, cujus terram destruunt) super eo ulti erimus.” Hoc dicto, chiminili a se rejecto, diram lanceam manu arripuit, equum calcaribus urget, nec dixit vicecomiti, “I prior,” sed “sequere;” quem secuti, et cum hostibus congressi, victoria sunt feliciter potiti. Et ceciderunt de Anglis illo die quingenti et ultra, præter complures qui intrantes bargiam, illam nimia multitudine oerantes, in mari sunt submersi. Et postea Rex Robertus de Anglia rediens, dictum episcopum in maximo honore habuit, et ipsum peculiarius cæteris episcopum suum nominare solebat; et scribendo eidem, a tergo literarum scribi fecit, “episcopo nostro.” Et cum cathedram rexisset annos circiter viginti quinque, tandem

plenus dierum et consummata chori sui fabrica, obiit vicesimo septimo mensis Junii, et in sepulchro suo, ut prædicitur, sepultus est, anno domini millesimo trecentesimo trigesimo septimo, inter A. D. 1337. nobiles pontifices merito computandus. Cui successit

DUNCANUS episcopus, qui locavit in feodifirma Waltero de Fothringay, terras de Fordayll, pro quadraginta solidis sterlingorum, pro certis hæredibus; quod creditur factum, quia episcopus erat natione Anglicus, et dictus Walterus ejus consanguineus, qui ex Anglia cum Edwardo de Balliolo Scotiam venerunt; vel saltem ipse episcopus licet Scotus, tamen ad Edwardi favores obtinendos locationem hujusmodi fecit, et eidem adhæsit. Idem Ducanus obiit anno domini millesimo trecentesimo sexagesimo tertio, et sic sedit A. D. 1363. annis viginti sex. Cui successit

MICHAEL Monymusk, camerarius magnus Scotiæ, qui obiit primo Martii, et in choro Dunkeldensi ad gradum a dextris nobilis Willielmi de Sancto Claro sepelitur, anno domini millesimo A. D. 1376. trecentesimo septuagesimo sexto. Cui successit

MAGISTER JOHANNES Peblis, Regis Cancellarius, vir magnarum auctoritatis et literarum; qui fieri fecit vitream fenestram orientalem chori Dunkeldensis, diversis ymaginibus vitro albo pictis decoratam; et obiit anno domini millesimo trecentesimo nonagesimo sexto. Cui, per favorem Regis erga sororem, successit

ROBERTUS de Cardeny, filius Duncani de Cardeny de eodem, et postea per matrimonium domus de Foss; qui stetit episcopus per quadraginta annos, et multa bona egit. Conquestus est terras de Muklere, ex qua fundavit vicarium perpetuum in choro Dunkeldensi, missam celebraturum ad altare sancti Niniani in ecclesia Dunkeldensi, quod ipse construxit et ornavit. Fundavit navem ecclesiae suae Dunkeldensis, die xxvij Aprilis, anno domini millesimo quadringentesimo sexto, et construxit usque secundos arcus, vulgariter le blyndstorijs. Palatium episcopi fuit suo tempore, alpina-tum more, ex domibus magnis super terram constructis; et ex hoc quidam malevoli insidiabantur episcopo de nocte, a quibus caute evasit ad fratrem suum Duncanum Cardeny de Inchewin; et postea construxit antiquam turrim quae adhuc est, inter caeteras ibidem munitissima, et aulam cum lardnaria et granariis subtus de testu-

dine : Vitro decoravit omnes fenestras chori, excepta orientali, suis sumptibus, emit mitram et baculum pastorem satis pretiosos et decentes : Erat ecclesiæ magnus defensor, auxilio magistri Donaldi M'Nachtane, viri literati, Decretorum doctoris, decani Dunkeldensis, et nepotis dicti episcopi ex sorore. Hic Robertus episcopus dedit in excambium, terras de Cammo infra parochiam de Crawmund, pro turri ejusdem et parva quantitate terræ circumjacentis ; et similiter terras de Logy prope Dunfermeling in feodifirma, pro annuo reddito duarum mercarum, irrequisito capituli consensu. Et tandem plenus dierum, in proplexia subitané, et ut dictum est famulantium incuria, ex lecto cadens, moritur apud Dunkelden, decimo sexto Januarii, anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo sexto ; et in suo monumento lapidibus sculpto, in sacella sancti Niniani, quam ipse construxit, fundavit et dotavit, honorifice sepelitur. Cui successit

A. D. 1436.

MAKNACHTANE Donaldus, Decretorum doctor, decanus Dunkeldensis, et dicti Roberti episcopi nepos ex sorore prædictus, qui per capitulum electus, Romanam curiam pro electione confirmanda petiit. Sed iste vir magnus et doctus Donaldus, tempore avunculi sui, procurator et pugil ecclesiæ fuit in singulis litibus :

Perambulationem fecit de terris ecclesiasticis de Ferne, et optimum processum habuit contra quendam Walterum Stewart archidiaconum Sancti Andreae, rectorem de Creif, pro pensione decem mercarum, ad communias canonicorum; quæ adhuc apud ecclesiam perhibet testimonium, et eum testatur fuisse doctum et practicum. Honoravit beatam virginem apud altare suum in ecclesia Dunkeldensi, et fenestram illius altaris vitro et armis suis decoravit. Multos annuos redditus, præsertim in burgo de Clony, comparavit, et de illis altare illud dotavit; majora facturus si supervixisset: Qui naturæ debitum solvens, in eodem itinere mortuus est. Sed interim, favente Rege, et dictæ electioni Donaldi decani resistente, eligitur

ILLUSTRIS JACOBUS Kenedy, nepos Regis ex sorore. Confirmatus stetit episcopus ad duos annos, et dehinc translatus est ad Sanctum Andream; de cujus magnificis gestis, ubi agitur de episcopis Sancti Andreae, dicitur; post cujus translationem, per supplicationem regiam ex provisione sedis apostolicæ, spectabilis et omnium morum honestate conspicuus

MAGISTER ALEXANDER Lauder, Rector de Ratho, germanus Willelmi episcopi Glasguensis, Cancellarii Scotiae, eligitur; et confirmatur, qui nondum consecratus per annum stetit electus promotus ad ecclesiam Dunkeldensem, in mense Maij, anno domini millesimo quadingentesimo quadragesimo; et in sequenti mense Octobris, die undecimo, anno domini millesimo quadingentesimo quadragesimo, Edinburgi moritur, et cum patribus suis in ecclesia A. D. 1440. de Lauder sepultus est. Cui per electionem successit

MAGISTER JACOBUS Bruse, rector de Kylmany, et in Dunfermeling consecratus est, dominica in Septuagesima, quarto Februarii, anno domini millesimo quadingentesimo quadragesimo primo: Ubi stetit episcopus sex annis, ecclesiamque suam decoravit pretiosa cappa et quatuor pretiosis vestimentis: Et ecclesiam de Abernit assignavit quatuor vicariis chori Dunkeldensis imperpetuum, anno domini millesimo quadingentesimo quadragesimo sexto. Hic vir strenuus erat et viriliter agens contra alpinates: Tirannum contra ecclesiam habuit Robertum Reoch Makdonoghuy; et quia idem tirannus depopulari fecerat terras ecclesiasticas de Litill Dunkelden, quas pro tempore conductas habuit quidam ge-

nerosus cognomine Forester et officio forestarius de Torwode, casu sic contigit, ut idem Robertus equitaret versus Perth, et ad orientalem partem ecclesiæ de Outhergavin obvium habuit dictum Forester, qui et ipse erat nepos episcopi ex sorore, et subito se invicem vi impulerunt; ubi Robertus lethaliter vulneratus in capite, non statim occubuit, sed ligari faciens caput lintheo, venit Perth ad Regem, et expedivit suam novam infeodationem terrarum de Strowane, in mercedem pro captione Magistri Atholie; et rediens, capta possessione, occubuit; et in ejus mortis vindictam, tribus Clandonnoquhy semper dum vocantur ad bellum regium contra Anglos, invadunt et depopulant terras de Torwode. Nobilis vir iste tandem ad ecclesiam Glasguensem translatus est, et regni constitutus Cancellarius, anno domini millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo. Cui ad requisitionem regiam successit regis secretarius,

MAGISTER JOHANNES Ralstoun; et stetit episcopus ad annos circiter quatuor: Quo tempore provisionem fecit de lapidibus sectis et quadratis ex lapicidio de Burnbane, pro continuando opere navis ecclesiæ, incepto per prædecessorem suum Robertum Cardeny; et ut ego scriptor præsentium audivi, adeo optabat con-

tinuationem, ut cum uno vel alio procerum secum habitantium, solebat certa lapidum onera extra lapicidium ferre quotidie. Tandem circa annum domini millesimum quadringentesimum quin- A. D. 1450. quagesimum mortuus est, et ex parte aquilonali majoris altaris in choro sepelitur. Cui per supplicationem regiam successit

MAGISTER THOMAS Lawder, Magister de Sowtray, ac præceptor regis Jacobi secundi, vir grandævus et sexagenarius, et adeo per capitulum primo recusatus, tandem in episcopum Dunkeldensem feliciter consecratus est. Pontifex iste venerabilis literas divinas doctus, fidem suis parochinariis per se prædicavit; et quos inobedientes Deo et principi reperit, primus moribus et vita perdomuit; ac ubi agrestis ille populus feroci animo patriam depopulabat, magna suffultus familia, et habita ballivo suo commisione regia, patibuli pœna coercebat: Illum præcipue prædonem Makbre, cum filiis et complicitibus suis, sua sagacitate perdidit, qui tunc inter omnes famosissimus habebatur. Postea vero unum lie sorneir, hoc est, vagantem per terras episcopi et ecclesiæ compellebat ut ei victus et pecunia solveretur, de tribu Duncani Hibernice Clandonuquhy, carceribus mancipavit; et propterea tribus illius caput, Alexander Roberti, prefatum pontificem die sancto pen-

ticostes, in ecclesia sua majorem celebrantem missam, sagittis, vi et armis, ac manu armata, infra ecclesiam invasit, ita ut relictis missarum solenniis, trabes chori scandere compulsus est episcopus. Sed dictus Alexander tyrannus alias implacabilis, recepto secum contribuli suo, recessit ; et dum pontifex regi quærelam fecisset, Rex dictum Alexandrum ultimo punivisset supplicio, nisi dominus Glammes (regia magnus in curia,) data dicto Alexandro filia absque dote, rem composuisset, regium placasset animum, et pontificis injurias ob gratias curiæ obtinendas deliniret. Hic etiam pontifex, a Jacobo secundo rege Scotorum illustrissimo, impetrauit omnes terras ecclesiæ suæ ex parte boreali aquæ de Forth, in unam baroniam, vocatam baronia Dunkeldensis, incorporari, data una solum in curia Regis de Perth secta ; et omnes terras dominicales de Prestoun, Bonkill, Abirlathy, Crawmund, et Abercorn, ac cæteras terras suæ ecclesiæ, ex parte australi aquæ de Forth, in unam baroniam, vocandam Aberlathy, et pro una secta in curia Regis de Edinburgh. Hic etiam pontifex navem ecclesiæ, inceptam a Roberto Cardeny prædeessore, laudabiliter consummavit, vitro fenestras omnes decoravit, tigna velavit, et in consummationis suæ decus porticum ecclesiæ ante januas australes struxit, et sculptoria arte ymagines ibidem quas decenter locavit. Postremo ecclesiam ipsam propriis manibus dedicavit, anno domini millesimo quadrin-

gentesimo sexagesimo quarto. Nec sic lassus opere sancto, canpanile fundavit, quinto Martii, anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo nono ; et continuando opus in altum ut cernitur construxit. Et similiter totalem domum capitularem, die decimo tertio kalendarum Aprilis, anno domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo, fundavit, et structura munitissima finivit. Et eodem anno, pacificata patria, synodum suam in ecclesia sua tenuit, quæ prius semper propter roboriam Catheranorum contra ecclesiasticos factam, apud Tulilum teneri solita est. Hic etiam sacerdos magnus et pontifex dignissimus, nunquam a bono opere cessans, fundavit pontem super aquam de Taya, prope suum palatium, partim de lapidibus et partim de lignis, die octavo mensis Julii, anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo primo. Decorem tamen ecclesiæ suæ minime oblitus, plures vestes, cappas sacras sacerdotales et sericas adduxit, vasaque argentea, viz. sex candelabra, unum calicem, duas phiolas, tres ampullas, pixidem crismatis argenteum, crucem in qua est pars crucis dominicæ ligni, pixidem pro Eukaristia argenteum satis ponderosum, vasculum aquæ benedictæ, et duo aspersoria de argento, duo thuribula argentea : Fecit etiam ad majus altare, antemurale depictum viginti quatuor miraculis Sancti Columbæ, et duas desuper ymagines ejusdem, duas columnas, et desuper duos angelos ; ac honeste quin-

decim candelabra cereos gestantia, in laudem Salvatoris, secundum revelationem in apocalipsi habitam, duas pendulas de serico, columnnam pro cereo paschali gestando, cathedram episcopalem, et stalla chori. Et nihilominus divinum cultum multipliciter augmentavit : Primo capellanum et choristam de Inver fundavit ; similiter missam quotidianam de requie cum nōta in solio Sanctæ Crucis ; erexitque ecclesiam de Mwkkersy, et vicarias de Alyth et Aberlathi in prebendas ; conquisivit hospitium in Perth, et aliud in Edinburgh, ecclesiæ et successoribus suis ; sex etiam juvenes puerili voce in choro cantaturos instituit, et de stipendiis providebat ; missam quotidianam de requie in loco fratrum de Tulilum cantandam fundavit ; etiam fundavit capellaniam Sancti Martini Edinburgi, ubi sedet officialis pro tribunali ; et in locis fratrum prædicatorum de Edinburgh et Perth anniversaria fundavit. Et cum jam senuerat, ad suum in Romana curia episcopatum resignandum, in favorem spectabilis viri magistri Jacobi Levingtoun, filii domini de Salcotis, tunc ecclesiæ decani, procuratores constituit ; sed quia Thomas Spens Aberdonensis episcopus, curiam regiam exterisque nationes sua providentia pacificando regebat, voluit ad Dunkeldensem ecclesiam transferri ; ideoque hujusmodi promotio in Romana curia impedita fuit. Tandem curia regia placata, et missis ad Romanam curiam venerando viro magistro

David Meldrum, canonico et officiali Dunkeldensi, prebendato de Cragyn, et Magistro David Colden ecclesiæ succentore, dicto Magistro Jacobo decano de episcopatu est provisum, reservatis Thomæ episcopo dignitate episcopali pariter cum fructibus episcopatus Dunkeldensis ex parte australi aquæ de Forth. Demum plenus dierum et bonis operibus, quæ hoc libello propter legentium tædium omittuntur, obiit venerabilis iste pontifex Thomas, quarto die mensis Novembris, anno domini millesimo quadingentesimo octuagesimo primo, cujus est hoc epithaphium—“ *Grex sine mæstitia Christo pia funde precata pro pastore Thoma Lawdir aureola, quem sanctum Nennia ducant pius atque Columba, ad cæli summum virgo Maria thronum. Vixerat hac sede præsul fulgendo decore, Annis terdenis, actibus innumeris. M semel L semel X ter ac uno C quater annis. Quarto vero die mensis obiit.*” A. D. 1481.

Sic cum sedisset annis viginti sex, loco cessit, et ei successit

JACOBUS LEVINGTON, Dunkeldensis ecclesiæ decanus, rector de Forteviot et Weme ecclesiarum, vir statura procerus, affabilis, mitis, prudens et dives, ob cujus prudentiam in regni cancellarium est delectus, consecratur in sua Dunkeldensi ecclesia, dominica proxima post festum nativitatis beati Johannis baptistæ,

anno domini millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto, per Johannem Hepburn Downblanensem, Johannem Balfour Brechinensem, præfatumque Thomam, universalis ecclesiæ episcopos. Hic pontifex, si non negotiis curiæ impeditus, et spe promotionis suæ ad archiepiscopatum Sancti Andreae, ad magis ardua tendisset, insignia fecisset opera : Quum in minoribus constitutus, ecclesias quas obtinuit multum decenter ornavit ; nec episcopus factus a bonis operibus cessavit ; altare Sanctæ Katerinæ virginis et martiris in ecclesia construxit et dotavit ; capellaniam etiam in honorem divi Columbæ patroni, ad altare Sancti Martini in ecclesia collegiata beati Egidii de Edinburgh, perpetuavit ; pontem a prædecessore suo Thoma apud palatium episcopale Dunkeldense constructum altius erexit, adeo ut vulgo diceretur, pontem pontifex perpetuavit. Seculi curis demum superatus, postquam episcopus sedisset annis septem duobus mensibus et tribus diebus, (mortuo prædecessore, anno uno mensibus octo ebdomada una et quinque diebus) Edinburgi, die Sancti Augustini doctoris Aurelii, anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo tertio, diem clausit extremum, et in Emonia insula sepultus est. Post cujus sepulturam, electus est in episcopum, per capitulum,

A. D. 1483.

ALEXANDER YNGLIS ecclesiæ Dunkeldensis decanus, et Sancti Andreae Archidiaconus principalis, in decretis licentiatus, clericus rotulorum et registri ac concilii supremi domini nostri Regis Jacobi tertii, vir magnanimus et prudens, per Regem ad episcopatum nominatus, et omnium curialium favore assumptus : sed Papæ confirmationem non obtinuit, eo quod promotus est in Romana curia

GEORGEUS BROWNE ecclesiæ Aberdonensis cancellarius, ac rector de Tynyngame, Sancti Andreae dioceseos, Dundee ortus, patre Georgeo Browne burgi thesaurario, domini de Mydmar filio, Johanna Balbirny matre ; ibidem grammaticam doctus, Sancti Andreae ad tempus in artibus studens, Parisiis est graduatus. Ad partes rediens, initio studii in collegio Sancti Salvatoris, receptus est quatuor regentium unus. In presbiterum per Thomam Lawder episcopum prædictum est ordinatus, vigesimo sexto Maii anno domini millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto. Ad Romanam curiam, pro promotione Magistri Georgii Carmichell in episcopum Glasguensem, orator dicti Regis missus est ; ubi, notus cœtui cardinalium, ex frequentia quam ibidem habuit, familiaris

Nota. Hoc cognomen Boria duas syllabas habet, s. Bor, et Ja, et sic legi debet.

reverendissimi patris Rodorici Boria episcopi Portuensis et vicecancellarii ascriptus est ; ejus mediis per Sixtum Papam quartum in Dunkeldensem episcopum est promotus ; Romæque ejus consilio, per Alfontium episcopum Civitaten. ex commissione Papæ, assistentibus secum Sancto Oloren. et Petro Mastaurien. episcopis, in ecclesia Sancti Jacobi Hispanorum in urbe, in episcopum consecratus est, anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto. Sic tamen pacificus non erat ; ymmo literis regiis, apud summum Pontificem et reverendissimorum cœtum cardinalium, ac constitutionibus parliamentorum regni, ob promotionem hujusmodi, rebellis et proditor est declaratus ; et instanter sæpe supplicatum est Papæ, per Regem, promotionem hujusmodi retractare : sed resistente dicto vicecancellario, res integra permansit. Interim etiam apud Regem, pro parte Georgii, per Robertum Lawder dominum Bass, (Robert with the borit quhyngar vulgariter nuncupatum) est multis mediis supplicatum. Et idem Georgius pontifex a curia Scotiam veniens, in insula Sancti Columbæ de Emonia applicuit, ubi ut loci ordinarius favorabiliter est receptus ; bullis suis ante ejus adventum per dictum Robertum executioni demandatis : et cum aliquando idem Robertus, in curia sollicitando, januas Caustri Puellarum venisset, favore Alexandri electi, eidem ingressus negatur : aspiciente Rege, et per fenestram audiente,

janitori dictus Robertus respondit, “ Mihi negas ingressum, et regiam presentiam, ideo mittam extra murum Anglos quorum favore exaudiar :” quibus ex verbis, Rex allectus, recepta pecunia, placatur; et eo melius, quod dominus Johannes Ramsay Regi primo dilectus, assedationem ecclesiæ de Abercorn pro quadraginta mercis episcopo solvendis obtinuit; quæ, mortuo Rege, dicto domino Johanne in Angliam deportato, libera episcopo rediit. Hiis et aliis mediis, obtentis Regis et dominorum favoribus, cum electo pacem fecit, remissis eidem fructibus per eum tempore litis receptis. Tunc licet pacificus magnis onerabatur debitis, de quibus paulatim satisfecit; et interim favores patriæ, liberalitate et magnis in familia expensis, hilaritate et astutia, obtinere meruit; debitis postmodum solutis, ad bonorum operum otium, totum animum dedit. Primo circa curam dominici gregis sibi commissam vigilans, doctos viros Dunkelden adduxit, quibus officia majora commisit: viz. subdecano commissariatus pariter et ruralis decanatus officium, per universam diocesim, quot focarii, quot adulteri et incestuarii, per subdecanum, eo assistente, sunt correcti; nec clericos nec laicos dictæ dioceseos latet. Subdecano ad Romanam curiam misso, in officiis prædictis perdoctum et omnino spiritualem virum Magistrum Walterum Brown, sacrarum literarum bacallarium, in jure canonico apprime eruditum, in officialem generalem,

et decanum ruralem ordinavit, et stipendiarium sustentavit. Crescente postmodum populo, consilio ejusdem officialis, totam diocesim in quatuor decanatus divisit; unum in limitibus Atholiæ et Drumalbane; secundum in partibus Angusiarum; tertium per Fyfe, Fothrik et Strathern; et quartum in partibus australibus ultra aquam de Forth. Quibus præfecit in Atholia, dominum Thomam Greig, propter patriæ ydioma, suamque corrigendo austeritatem; in Angusia, Alexandrum Myll scriptorem præsentium, licet immeritum; in Fyffe, Fothrik et Strathern, de Forgundyny præbendarium; ex parte australi aquæ de Forth, Magistrum Thomam Grenlawe, et post eum, Magistrum Matheum Ker, quos etiam commissarios et illic pœnitentiarios habuit: Nec alios talibus præfecit officiis, quam ecclesiæ suæ canonicos, et ydoneos doctosque viros; curam vero suæ pœnitentiariæ, majori semper et doctiori suæ ecclesiæ commisit. Mediis autem suis, fratres minores et prædicatores hibernicæ ydiomatis peritos, in partibus superioribus suæ dioceseos, semel ad minus in anno prædicare, et confessiones audire misit; dictum de Forgundyny præbendarium tunc pedagogii in Sancto Andrea principalem, stipendiis suis ad ecclesiam suam prædicaturum adduxit, sibi que de annua pensione et expensis ordinariis in domo et familia providebat, usque dum in ecclesiæ suæ canonicum est promotus; quorum in prædicationibus

exercitio, parochiani et diocesani sui peccata, ad triginta annos tunc elapsos tecta, confiteri et absolutionem obtinere meruerunt; publice vero peccantes adeo tempore suo sunt puniti, ut pauci mortis suæ tempore, in gravibus excessibus sunt delati. Nunquam tamen, de pecuniis in redemptionem peccatorum datis, intromittere voluit; dicens, “Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum;” illam tamen pecuniam ad usum ecclesiæ parochialis peccantium et reparationem applicari fecit earundem. Sic que spiritualem curam sibi commissam regi fecit. Nec propter hoc in temporalibus negligens erat. Sicut episcopum illius ecclesiæ oportet esse strenuum quia semper a secularium incursum vexata erat; ideo toto conatu, ecclesiæ possessiones mensæ suæ pertinentes, etiam canonicorum et capellanorum, viriliter (nullis computatis expensis, consilio tamen præhabito) defendebat.

Primo, Ubi Thomas Lawder ejus prædecessor, Jacobum Forthingay super injusta detentione terrarum ecclesiasticarum de Fordale in litem longam traxerat, sed quia (ut dicebatur) Andreas dominus Avandale, tunc Scotiæ cancellarius, laicis contra ecclesiam, ubi possessio non erat pacifica, favebat; dicto præsertim Jacobo, quia sibi in hominem obligatus erat; negotium, lite incepta, finem in curia Regis non habuit. Ideo idem Thomas suis successoribus

in testamento mandavit, sub anathematis pœna, easdem terras de Fordale ad usum ecclesiæ reducere. Titulus autem contra ecclesiam allegatus erat, quod terræ dicto Jacobo Fothringaye hæreditarie pertinebant, de supremo domino nostro Rege tentæ erant. Sed re vera ita non erat, sicut ex registro ecclesiæ et instrumentis inventis patet, quod Duncanus episcopus, Waltero de Fothringay et certis hæredibus pro quadraginta solidis locavit; et quia calamitatum tempore, cartæ dictæ ecclesiæ, ut fertur, pro securæ earum custodia apud insulas delatæ sunt, nec hactenus reductæ, ideo possessor terrarum hæreditatem sibi, et Regi superioritatem allegavit; sed prudentia ipsius Georgii Pontificis, longa lite, magnis expensis, et etiam placato possessore pecunia, terris et assedationibus, ad ecclesiam sunt reductæ; quas fratri suo Ricardo et hæredibus masculis de corpore suo procreandis, pro quadraginta mercis annuatim in feodifirma locavit, prout in processu et instrumentis ecclesiæ plenius habetur.

Secundo, Quia ad usum suum et ecclesiæ terras de Mwkkersy accepit, dominus Jacobus Creichtoun de Strathord miles detentor earundem, eidem pontifici multum nocivus erat, et insidiabatur; adeo ut eundem pontificem cum plusquam quadraginta equitibus familiaribus, ad curiam regiam prope pontem de Erne properan-

tem, miles cum duodecim equitibus temerarie invasit, et armis aggressus est pontificem et suos; quod nisi idem pontifex et secum ecclesiastici existentes, familiares episcopi compescuissent, idem dominus Jacobus cum suis gladio percuterentur. Mediatione igitur ecclesiarum pax secuta est pro tunc, et ad convincendam militis malitiam, episcopus retrogressus usque civitatem pervenit, et miles curiam adiit; extunc semper tenentibus episcopi nocivus præsertim de Pettindyny et Kynwaid. Quare episcopus, milite inscio, terras de Wester Kynwaid, Wester Lowstoun et Ester Lowstoun, ecclesiæ fructibus de Crawmund pro triennio, Roberto Waws burgensi de Edinburgh domino earundem assignatis, emit, ecclesiæque suæ admortizatas, et baroniæ Dunkeldensi unitas, regia liberalitate obtinuit; eo tamen pacto, ut darentur de ecclesia in capite tenendæ cuidam seculari, servitium forinsecum supremo domino nostro Regi impensuro. Conquestis vero terris illis, et in medio earundem, super terris ecclesiasticis de Kynwaid, maneriem construxit; et sic terras illas et ecclesiæ tenentes in pace observavit.

Hac plaga et parte limitum episcopatus pacificata, novus surrexit inimicus Jacobus Hering de Clony dictus, filius primogenitus et hæres Davidis Hering de Lethindy. Adeo inquilinos

terrarum ecclesiasticarum de Kincarnis, cancellario tunc magistro Georgio Brown, et præbendario de Ruffill tunc domino Thomæ Byne pertinentium vexavit, quod non sinebat eorum animalia nec in propriis nec communibus pascuis, ultra terram eorum cultam depasci; allegans terras ecclesiasticas ultra terram cultam pertinentias et privilegia non habere; et propterea quotidie namari fecit armenta et detineri, quousque pauperes inquilini ad curiam dicti Jacobi venirent, et servitium et obsequium dicto Jacobo, autumpni, seminis et aliorum laborum temporibus sponderent, in maximum ecclesiæ libertatis dampnum. Dicti igitur cancellarius et Ruffell præbendarius, frequentes dicto pontifici suo querimonias exposuerunt; quas idem pontifex ferre non valens, contra dictum Jacobum, primo, via perambulationis remedium attemptavit, commissionique causam, de consensu Jacobi, obtinuit Willielmo comiti de Eroll; et die perambulationis statuto, partibus et patria in magno numero, super pascuis debatabilibus, vigilia Simonis et Judæ convenientibus, idem Jacobus, multum ut erat astutus, municipalibus regni practicus, quia sperabat pro ecclesia victoriam evadendo, proposuit judicem non juratum, et sic cessata est perambulatio illa. Pontifex vir sapiens, considerans Jacobum de causa sua desperare, et post multas expensas factas delusorie evasisse, respondit, "Expendentur de bonis Sancti Columbæ

mille libræ, si ante festum penticostes proximum non habeam alium vicinum, cum quo perambulabimus.” Jacobus vero ad mitigandam pontificis magnanimitatem, concordiam quæsivit ; et arbitratoribus electis et convenientibus, subterfugiente semper dicto Jacobo, nihil est actum. Tunc pontifex, suorum canonicorum, stipendiariorum secularium, et doctorum curialium, maturum habuit concilium ; quo decretum est, jus terrarum de Clony, Congragy et Cardyneis, cum pertinentiis, Regi et Johanni Stewart, filio et hæredi quondam Walteri Stewart, pertinere. Consultus sic, idem reverendus pater, ex mandato regio, copiam e registro omnium decretorum appretiationum, et chartarum dicto Jacobo factorum sub authentico obtinuit. Primo, jus regium earundem terrarum, datis quingentis mercis, deinde jus quod habuit idem Johannes, pollicitatione facta de terris sibi in hæreditate concedendis, utrumque obtinuit. Et pro proseguenda lite, de consilio dicti reverendi patris, dictus Johannes jus suum ad terras de Petty, Georgio Blair vendidit ; pecuniam dictus R. P. ad litem fovendam accepit ; et per summonitionem regiam ad ejus et Johannis prædicti instantiam, vocato dicto Jacobo et Andrea Hering, ejus filio, feodi recti earundem terrarum domino coram consulibus regiis, lis tali diligentia prosequitur, ad retractationem decretorum contra dictum quondam Walterum Stewart obtentorum. Timentes sibi iidem Jacobus et

Andreas, coram eisdem consulibus proposuerunt, dictum Walterum Stewart approbâsse et ratificâsse omnia decreta contra eum, in favorem dicti Jacobi lata, necnon appretiationem et infeodationem prædictarum terrarum inde secutas; obligâsseque se et heredes suos in contrarium non devenire, sub pœna mille mercarum: Adque dictam suam intentionem probandam, duo instrumenta produxit, signis et subscriptionibus Willelmi Barry et Johannis Kowgask subscripta et signata; quæ improbata civiliter magister Jacobus Hendersoun Regis et dicti Johannis advocatus, se obtulit; et e contrario ad recognoscenda et verificanda illa eadem, dicti Jacobus et Andreas terminum eis præfigi postulârunt. Tunc consules prædicti certum peremptorium terminum utriusque partium, ad respective instrumenta probanda et improbanda assignârunt; et dum ventum est ad testium in causa productionem, relatam est, instrumentorum datam post mortem dicti quondam Walteri fuisse. Magis timentes iidem Jacobus et Andreas, et de causa desperantes, voluntati dicti pontificis, unacum Johanne Retray de eodem milite, et Georgio Brown, Dunkeldensis ecclesiæ cancellario, tanquam eidem assessoribus, se submiserunt. Sic omissa lite in curia regia, aliquamdiu litigatum est, coram dicto antistite Georgio et suis assessoribus; comparente dicto Johanne Stewart per se, et procuratorem suum Andream dominum Gray, sub cuius

tutela, ex testamento paterno, est legatus ; et ex adverso dictis Jacobo et Andrea personaliter per seipsos ; et finaliter in causa usque ad sententiam diffinitivam inclusive processum est, ut in processu coram eis deducto, mea manu totaliter scripto, et in registro ecclesiæ servato, plenius continetur. Mediis tamen venerabilis patris Laurentii abbatis Insulæ Missarum, filii Laurentii domini Oliphant, (cujus nepos dictus Andreas ex sorore fuit,) est transactum, et in causa concordatum, ut dicti Andreas et Jacobus necnon Johannes Stewart, tanquam hæres patris, pro quo lata est sententia, omnes hujusmodi terras in manu Regis domini superioris earundem resignarent, in favorem dicti Georgii et ecclesiæ suæ : Et propterea, ad dirimendam omnem litem in futurum, dictis Andreae et Jacobo, in feodo et liberetenemento, idem pontifex, consentiente capitulo, dedit terras dominicales de Megill, sub reversione quadringentarum mercarum ; quas terras postea idem reverendus pater redemit, data illa pecunia, postquam idem Jacobus et Andreas terras ad quinquennium possedissent. Dicto Johanni Stewart pro jure suo, quod pinguius erat ; tum quia hæres patris et in ejus favorem contra præfatos Jacobum et Andream, lata est sententia superius commemorata, dedit terras de Clony, Concragy, Adamstoun, Burroustoun et Myltoun ; sed quia idem Johannes murmurabat sibi secundum contractum inter eos non esse

satisfactum, idem pontifex dedit eidem terras de Arntuly, quas reputavit per eum conquestas; quia pro redemptione litis habitæ contra eum et ecclesiam suam, per Regem, super terris illis de Arntuly, quas reputavit per eum conquestas; quia pro illis et terris de Mukkersy dedit, Regi fructus ecclesiarum de Aberlathy et Crawmund pro triennio; quamvis placatis partibus, terras ipsas de Clony, Concragy et Cardynis in manibus Regis resignatas, aliter non poterat habere suæ mensæ et baroniæ annexas et admortizatas, nisi datis, ultra præmissa et expensas litis, trecentis mercis. Et ut bene novi, conquestus illarum terrarum non habebatur minus mille libris; quas expensas idem pontifex minime fecisset, nisi propter liberationem suarum et subditorum terrarum ecclesiasticarum; tum quia tempore Thomæ Lawder prædecessoris sui, latrunculi impositi in lacu et fortalicio de Clony non sinebant victualia ecclesiæ de Alithe importari ad Dunkelden, ymmo vi rapiebant; tum quia amoto proximo nocivo, pascua commune in presentem diem non negatur tenentibus Cancellarii et præbendarii de Ruffill. Et cum equitare solebat inter Dunkelden et Clony, consideravit per totam viam illam qua itur per Stentoun et Capeth, omnes tunc terras pertinere ecclesiæ Dunkeldensi, præter terras ecclesiasticas de Fordowy, tentas de Abbate et Conventu de Dunfermling; volens mitram augere et per terras pro-

prias inter dicta palatia equitare, primo conquesivit superioritatem immediatam earundem terrarum, unacum quarta parte villæ in proprietate, a Johanne Blair de Ballgillo, tenente dictorum abbatis et conventus; et compositionem fecit cum eisdem abbate et conventu, et in excambium dedit eisdem superioritatem terrarum de Logy prope Dumfermling, et duas mercas annui redditus earundem, necnon et quatuor mercas annui redditus de Newtoun de Aberdour; accidentibus ad hoc capellanorum consensu et confirmatione regia. Et sic episcopus potest quadruplici itinere equitare, inter palatia prædicta, in propriis et canonicorum suorum terris, viz. per Cardineis, per le Letter, et per Stentoun et Capeth.

Hiis ecclesiæ impetratis, conquestus est a Rege in feodifirma, pro quadraginta solidis annuatim, forestam et terras de Birnane, terras et silvam de Logy, cum pertinentiis, et easdem, ac terras de Mwkkersy et Arntuly semper usque tunc per Regem calumpnias, ecclesiæ suæ et baroniæ Dunkeldensi concedi, uniri, annexari et pacificari obtinuit, datis Regi ut prædicatur, fructibus ecclesiarum de Crawmund et Aberlathy.

Vocatus etiam idem reverendus pater pro evictione terrarum de Mwkkersy, vel ad warrantandum lie Canis de Kingorn, obtinuit:

decretum Dominorum Concilii, per evidencias per me ejus nomine ostensas; per quod liberatur ecclesia ab evictione prædicta, super quo idem reverendus pater fieri fecit processum in registro ecclesiæ observatum.

Nunc discendo ad foundationes per eum factas; et primo, altare in sua ecclesia, et capellanum ad illud perpetuum in honorem divæ virginis Mariæ (libera nos a pœnis inferni) ad dimidiam principalis altaris divæ virginis in eadem ecclesia. Et quia in anno A. D. 1500. domini millesimo quingentesimo, sævissima regnavit pestis, per totum regnum Scotiæ, et ut fama fertur, civitas Dunkeldensis illæsa, meritis divi patroni Columbæ, a contagione pestifera semper permansit; ideo in honorem ejusdem, per annum integrum, suis expensis cantari fecit missam cum nota, ad majus altare, omni die in secundo pulsu ad matutinas; et anno finito quia civitas et maxima circumjacentis patriæ pars, a peste intacta permansit, ideo missam ipsam quotidie dicendam, datis ad hoc quatuordecem libris annui census prædiorum rusticorum, fundando perpetuavit. Ac ut celebrantes eandem missam ecclesiam decorarent, tedioque nec afficerentur, septem elegit chori vicarios, decem librarum stipendio conductos, ad septem ecclesiæ altaria nondum fundata, viz. divorum Martini, Nicholai, Andreæ Apos-

toli, Innocentium, omnium Sanctorum, Stephani prothomartiris, et Johannis baptistæ, in honestate servanda ; quodque per singulos dies omni septimana, unus illorum in turno suo missam celebraret ; quæ hactenus in secundo pulsu ad matutinas opportune servatur, ad quam devoti ecclesiastici et bonis operibus seculares assueti, advenæque itineraturi, exultantes conveniunt.

Deinde unum altare et capellanum perpetuum in ecclesia parochiali de Dunde, sui baptismatis loco, in honorem Sanctæ Mariæ et trium regum, constructis ad hoc satis ample terris burgalibus per eum conquestis, necnon annuo reddito decem librarum terrarum de Kirkbuddo, construxit, ornavit, dotavit et fundando perpetuavit.

Duas etiam capellanas in capella beatæ Katerinæ virginis et martiris infra lacum de Clony, easque in sui et suorum familiam successorum ascribens, ex annuo reddito prædiorum rusticorum similiter perpetuando, fundavit ; quam capellam et totum locum fortalitium in dicta insula (excepta majoris turris volta) a fundamentis, construxit et reparavit. Et quia in antiquo ecclesiæ suæ registro invenit, fuisse aliquando præbendam hospitalitatis ex terris de Ferdisschawe constitutam, quas sui predecessores episcopi, sicut et terras de Gawy, suæ mensæ applicaverant, accedente ad

hoc omnium canonicorum assensu, in præbendam reduxit : Et quia ad supportandum onus hospitalitatis, fructus terrarum exiles erant ; ideo conquestus est terras de Litilkethik, et præbendæ univit ecclesiam de Logybride, et inde magistrum instituit hospitalitatis, et septem pauperes per eum regendos et sustentandos, ipsumque magistrum ecclesiæ suæ canonicum, ceremoniarumque magistrum et continuo residentem, per que capitulum suum ad hoc eligendum, et præsentandum, ordinavit ; prout in reductionis huiusmodi fundatione, auctoritate apostolica confirmata, plenius modificatur.

Et quia ut præscribitur pestis epidimiè pullulabat, attendens pontifex prædictus raritatem parochialium ecclesiarum, et propterea ad funera concursum totius patriæ periculosum ; et quia parochia tunc Litill Dunkeld nuncupata, lata erat et dispersa, sedecim habens miliaria longitudinis, ideo illam divisit ; primo in duas parochias, unam parochialem de Litill Dunkeld antiquitus constructam ; aliam de Capeth, ubi suis sumptibus chorum struxit et ornavit ; depicto antemurali, fenestras vitro decoravit, et parvam vicariam quam habuit mitræ annexam, vicario in sustentationem, unacum monte in quo fundavit ecclesiam, prius vulgari-ter nuncupatam Mwtehill, et quatuor acras terræ in glebam ec-

clesiæ, prout ad longum in foundationis carta habetur, sigillis dicti patris authentico, et communi capituli meaque subscriptione, roborata.

Hoc mirandum quod sequitur, mecum judicavi non prætereundum. Antequam ecclesiam fundaverat, timens pestem per patriam pullulare, volens providere de ecclesiastica sepultura, cimiterium signavit, dicavit et benedixit; quosdamque peste laborantes, in terris suis ecclesiasticis de Capeth, visitavit, et sacramenta ecclesiastica eis ministrari, fecit: Altera vero die aquam fecit benedictam, in qua lavavit os beati Columbæ, et cum cancellario eis ad bibendum misit, quam multi recipientes sani facti sunt. Unus vero protervè cancellario respondit, “ Quid mittit nobis episcopus aquam ad bibendum? mallem misisset michi optimam suam cervisiam.” Ille vero, cum reliquis aquam Sancti Columbæ non recipientibus, in peste obierunt, et ad numerum triginta personarum, in uno infra dictum cimiterium monumento, sepulti sunt.

Postmodum vero intelligens, populum dictarum parochiarum auctum, et in superioribus partibus de Capeth parochiæ, ydium esse Hibernicum; ideo ad hoc, in honore divæ matris Annæ, ecclesiam parochialem inter nemora in terra sua ecclesiastica sita de

Dowaly construxit, dotavit, et mansum pro presbitero assignavit, sicut monumentum desuper autentica forma conceptum, ad plenum testatur. Ecclesiam parochialem Sancti Servani, quæ principalis erat illius parochiæ quæ Tybermure dicitur, restauravit et construxit; vicarium perpetuum ibidem constituit, et fructus vicariæ unacum gleba ex parte boreali aquæ de Almond, assignavit; prout in scripto desuper facto plenius habetur; ecclesia vero ipsa, ut antiquitus dici solet, in dissuetudinem et solitudinem abiit; quia infans Domini Rothven ibidem baptizari delatus, post baptismum, in aqua de Almond redeundo ab ecclesia periit; et ideo ecclesia beatæ Mariæ de Tybermure, pro ecclesia parochiali totius parochiæ tenta fuit, quæ creditur fuisse oratorium palatii episcoporum ibidem commorantium, sicut Willielmi de Sancto Claro et Galfridi. Nec hiis auctis ecclesiis satis contentus, infra parochiam ecclesiæ parochialis de Alith, episcopali mensæ spectantis, terras de Buchquhane, antiquitus pro certis missis per septimanam celebrandis, in capella Sancti Niniani, infra cimiterium ejusdem parochialis ecclesiæ sita, ex nobilium fundatione donatas, invenit; quas vicarius ante vicariæ erectionem, postque prebendarius, suis applicarunt usibus, fundatione fraudata. Tunc dictus Georgius antistes, volens fundatorum ultimæ voluntati subvenire, et animarum saluti quæ magno habentur numero mederi, consen-

tientibus prebendario de Alyth et capellano, in dicta capella perpetuum fecit capellanum quotidie celebraturum, adiutoremque vicarii pensionarii circa animarum curam et salutem. Assignatis ideo sibi dictis terris de Buchquhane, et earundem decimis prædialibus personalibus et universis aliis, cujus capellani modificationis fundatio desuper facta, ad longum testatur.

Et licet inimicorum ecclesiæ litibus occupatus, et terrarum conquestui intendebat, decorem ecclesiæ suæ interius minime oblitus est. Primo cappas sericas multas, binas et binas colore concordantes, ecclesiæ suæ donavit ; tres de auro texto, casulam cum dalmatica tunica, albis stolis et cæteris pertinentibus de panno albo auro texto, et similes per omnia de blovio colore auro textas : tabernaculum majori altari ; anagogium æneum quadripartitum ; evangelistarum figuras quatuor, ambo nes gestantes, super quibus vicissim canitur evangelium, prout evangelistæ intitulatur ; figuram Moysi æneam ambonem brachiis tenentem ; et ad tergum candela-brum æneum tripartitum ; supersellia stallorum chori depinxit ; solium sanctæ crucis cum altaribus divorum Michaelis et Martini, chorique cancellis totaliter nova fecit ; apostolorum ymagines sculpi et reliquorum sanctorum ante et retro depingi ; Regum et nobilium ecclesiæ benefactorum episcoporumque ymagines a tergo depicto-

rum ordinavit ; ut chorus orans illos specialiter commemorarent ; omnia ecclesiæ altaria antependulis unius figuræ decoravit ; cuilibet eorum ad minus unum, aliquibus duo vel tria, secundum quod opus erat, sacerdotalia vestimenta largitus ; duas magnas campanas, unam Columbam, minorem Georgium vocatas, adduxit, successoribus maximam, quæ Maria foret vocanda, portandam reliquit.

Structuras has fecit ; parochiales ecclesias prædictas, et in insula lacus de Clony domus omnes cum omnibus capellæ et domorum ornamentis ; ecclesiam Sancti Georgii cum singulis ornamentis ; palatii Dunkeldensis occidentalem partem a fundamentis, cum oratorio satis honesto, construxit. Similiter Edinburgi partem australem mansionem de Kinwaid, navem ecclesiæ fratrum Carmelitarum de Tullelum prope Perth, a fundamentis erexit ; domum illorum occidentalem cum duobus lie galryis, ibidem reparavit.

Postremo, pro ultima voluntate, pontem lapideum apud suum palatium Dunkeldense, trans aquam de Taya, edificare cœpit ; et in vita sua, unum et primum arcum perfecit, anno domini millesimo quingentesimo decimo tertio : quo anno, Henricus Rex Angliæ octavus contra Gallorum Regem arma movebat, et dominum Dacres, decanumque Wyndesor doctorem West, apud Regem nostrum

Jacobum quartum misit, promittens multa si cessaret a supportando Gallorum Regem ; ex adverso, a Gallis promissa sunt munera et arma minime observata. Rex tamen Jacobus quartus, Gallis credens, Angliam invasit, Norehame castrum expugnando cepit, et ad quindenam bellatores Gallos exspectavit, sed frustra. Tunc comes de Suthra, locumtenens Anglorum Regis, bellum dicto Jacobo Regi obtulit, cui ipse annuit, et in Flowdoun, cum multis regni nobilibus, crastino nativitatibus beatæ virginis, anno prædicto, decimo tertio, occubuit ; inter quos multi familiares dicti pontificis, ceciderunt : et in dicti Regis locum, coronatus est filius Jacobus quintus, apud Striveling, die Sancti Mathei, anno prædicto, annum et quinque menses ætatis suæ agens. Quo episcopus, et senectute (quæ morbus est) ac tanto calamitatis tempore, patriam regimine et rectoribus destitutam dolens, cum sedem suam annis viginti novem rexisset, calculo (quem *lie felt* vulgo dicebant) depressus, continuo usque mortem vexatur ; propter quod, Deum toto corde laudabat, mihi que secretius dixit, se a domino exauditum, petitionem semper in suis orationibus habuisse, ut hic continuo ante mortem torqueretur. Et quamvis omni anno, testamentum solebat proprio cirographo conficere, sicut post mortem, inventum est unum talis tenoris, “ DEO, Virgini gloriosæ, et patrono Sancto Columbæ, animam lego ; bona Sancti Columbæ, mihi incumbentia,

in reparationem ecclesiæ, pontis, et pauperibus in elimosinam lego ; executores constituo, precentorem, archidiaconum et officialem," tamen cum continuam habuit infirmitatem, capellanum suum in cubicularium vocavit, et in mense Aprili, anno domini M°. CCCC°. decimo quarto, testamentum per modum indenturæ, duplici forma, manu Magistri Johannis Thome notarii, suæque manu propria subscriptum, scribi fecit ; debita annotavit ; successori per summum pontificem promovendo, utensilia, et domicilia palatii Dunkeldensis legavit, quia ipse pontifex effectus nihil horum in palatio obtinuit : et Indenturarum hujusmodi partem unam prebendario de Alyth, et mihi alteram, tradidit conservandas. Per illam vero æstatem apud ecclesiam suam residens, orationi contemplando vacabat ; et recreationis causa, inter orandum, pontis opus de fenestra cameræ suæ aspiciebat. Finito primo arcu pontis, hyeme appropinquante, cœpit debilius se habere ; et quamvis Margareta, soror dicti Henrici Regis, Scotorum Regina, per dictum Jacobum quartum suum sponsum, tutrix filio ex testamento descripta fuerat, et ei aliquamdiu obeditum ; sed quia tunc nupserat Archibaldum Angusiarum comitem, irrequisito dominorum et procerum regni consilio, apud Dumfermeling concione habita, regni consules eam officio illo privatam declararunt ; et illustrem Johannem Albaniam ducem, in Regis tutorem,

et regni gubernatorem, omnium consensu est suffectus. Et ex tunc quidam magnatum, favore dicti comitis, Reginae opinioni favebant; alii gubernatorem exspectabant, et Reginae contradixerunt; inter quos Jacobus Glasguensis archiepiscopus, regni cancellarius, et inter nobiles, Alexander dominus Home magnus camerarius, erant præcipui: Qua discordia regnum in seipsum dividitur; sed consensum in promotionibus dare, Regina ut prius nitebatur. Nunc revertor unde digressum est.

TUNC ob divisionem prædictam, hominum crescente malitia, insolens Willielmus M'Patrik M'Alister M'Robert M'Donoquhy, per alios dictus Willielmus Strowan, cujus erat dominus, Johanne comite Atholiæ in borealibus partibus existente, cum sua tribu et aliis sceleratis, nepharia facere, dicto etiam comiti adversari, et tyrannicè regnare cœpit; quem idem pontifex, ob familiam domus Glammis, a qua descendit, favere solet; sed factis suis contradicens, legatos mittit, et talia perpetrare inhihet: Vidensque quod non proficeret, et adventum dicti gubernatoris apprime desiderans, quia obstante senectute, se oppressoribus patriæ non poterat opponere, autumpnali tempore, pro aeris mutatione, ut solebat, locum fratrum carmelitarum de Tulelum, prope burgum de Perth, visitavit; et ibidem suis vocatis executoribus, boxam tradidit, mille

circiter mercas continentem, et ubi defuit illius summæ pecuniæ, obligationes debitorum tradidit, ad dictam summam cum pecunia ascendentes. Nos vero executores, pontifice et domino nostro mandante, in custodia Prioris domus Cartusiæ deposuimus. Hac re tuto relictâ, domum rediit, et capitulo, crastino Sancti Nicholai, anno prædicto millesimo quingentesimo decimo quarto, præfuit; finitoque capitulo nobili viro decano suo prædicto, cujus ex consilio domui suæ (ut apostolus docet) bene disponens, pro custodia palatii de Dunkeld, dictos de Capeth, Alith, Londeif et Ferdeschawe, per quatuor partes, cum servitoribus ad hoc necessariis, custodes ordinavit, ea intentione, ut sede ejus morte vacatura, decani et capituli mandato palatii custodes obedirent. Archidiaconum, ex sorore nepotem, familiam tenere, et saltem proximo Christi nativitatis tempore apud Kinwaid, cum sororibus et cæteris consanguineis convivere mandavit: Pontifex vero, reliqua cum familia, fortalicium de Clony, locum episcopalem meliorem et melius custodiendum, suo regimini retinuit; quem locum clavem sedis Dunkeldensis vocari solebat. Nec sic licet grandævus disposuisset, nisi quia Johannes Stewart, domini Johannis Stewart de Stowixis militis filius, ex Kinwaid, pontificis neptam, dominam Matildam Johnesou, relictam domini Johannis Retray de eodem militis, vi, ut dictum fuerat, in Alpes abduxit; et redeunte do-

mum, idem Johannes comes Atholiæ, quia dictam dominam Matildam irrequisitus restituere non temptavit, contra eum et suam comitissam, quibus in minoribus constitutus gratus erat, irascebatur. Cujus ira et calculi morbus, et sitis ultra quam credi potest, mortem accelerarunt; et ideo cupiens quietus vivere, hoc calamitatis tempore, insulam de Clony adiit; ubi Christi nativitatem honorifice in capella loci et aula peregit satis solennem; tantam passusque sitim, vix poterat die natali domini missam celebrando perficere; et post epiphaniæ festum, illius infra octavas, cœpit se pejus habere; sed finitis ipsis octavis, die sabbati duodecimo Januarii, anno prædicto, millesimo quingentesimo decimo quarto, mihi mandavit parata habere, pro altaris et extremæ unctionis sacramentis, omnia necessaria, sibi que expeditius de mane crastino dominica scilicet die attendere; sicque factum est. Et mane ante horam sextam, primo ejus confessionem audivi, et absolutionis beneficium eidem contritissimo de omnibus peccatis impendi, missam celebravi, et eum infra missarum solennia communicavi. Hac die habuit aliqualem requiem, sed noctem sequentem insomnem duxit; quare circa noctis medium, surrexit, et sicut semper usus est, honestissime vestes induit; et vocato domino Jacobo Hendersoun, barbam sibi fieri fecit; qua facta, dixit, de quodam tunc pridie suspenso Makay nomine, "Ecce laudes Deo

jam honestius moriar quam ille qui cum barba inhonesta suspendio interiit." Hiis dictis, divestitur, et in lectum recipitur paululum pausare. Et quia semper fortis animi fuit, nunquam in quacunque infirmitate detentus, continuo voluit lecto quiescere, sed surgere saltem semel de die, et missam audire; et tunc honestiora indumenta accipere, et mappas ac alia quibus servitium ei fuit habere. Tandem circa horam sextam de mane, ad se accersiri fecit Magistros Jacobum Fentoun præcentorem, Georgeum Fern Archidiaconum et nepotem, meque ejus in hac parte vicarium electum, et reverenter petiit se inungi. Inter loquendum, ad ejus duximus memoriam Christi passionem, articulos fidei, illud patroni sui divi Martini, "mori non timeo, nec vivere recusabo;" Christum natum, passum, et cæteros fidei articulos, plane alta et magna voce recitans, ut Catholicus antistes confessus est, se firmiter absque ulla questione credere, et semper dum viveret crediturum, despecto diabolo et temptationibus suis; solenniter protestans, quod quia tunc firmus in fide erat, et sanæ ac robustæ mentis, si postmodum virtute corporali deficienti, diabolica calliditate, aut argumentis naturalibus temptaretur, et forsitan, quod absit, flecteretur aliquo modo a fide, non sic, sed prout sana mente professus est, judicaretur. Super tamen omnia, divinæ misericordiæ se submittens, et justiciam recusans, spem firmam gerens, se virtute passionis

Christi, et precibus divæ virginis Mariæ, ac patroni Sancti Columbæ, et non suis meritis salvandum; super quibus a magistro Thoma Brown, vicario de Outhergavin tunc presente, suo pro tempore scriba et capellano, testibus nobis prædictis, ac domino Johanne Tyry vicario de Crawmund, ac dominis terrarum circumjacentium, viz. Johanne Cargill de Kinloch, Johanne Blair de Haltoun, David Scrimgeour de Fordill, Johanne Stewart de Arntuly, Waltero Bannerman de Kellebrochin, Roberto Browne de Fordale, Johanne Moncur de Ballwny, Johanne Retray de Leichhill, et Thoma Brown aromatario ac cive civitatis Sancti Andreae, cum multis aliis, protestatione facta, archidiacono arcam crismatis, et cantore vas cum aqua benedicta tenentibus, incepti pontificem inungere. Cum celebrandi forent psalmi, mecum assessoribus prædictis primum versum dicentibus, pontifex cum dicto suo capellano vicario de Outhergavin, alterum versum distincte ac si sanus corpore fuisset proferebat, nisi, quia infirmitatis gravitas anhelitum impedi-
bat, adeo velociter sicut nos proferre non poterat, capellanum rogavit, ut psalmos paulatim et tardius dicere vellet; et sic ejus adjutorio, extremam peregrimus unctionem. Unctione peracta, in pontificis præsentia missa celebratur, quam devote (orationes in libro ut semper solebat legens) læto ut apparuit animo audivit. Audita missa, et refectione capta, pausare cœpit usque meridiem: Tunc reu-

mate et catarro fluentibus, agonizare incepit ; sed tamen fortis animo, non sinebat aliquod immundum, per oculos, nares, aut per os defluere, quin propriis manibus abstersit, moriturus ut vixit pontifex honestissimus : Et impedita per nimium catarrum robusta loquela, Crucifixi ymaginem ad pedes depictam devoto vultu et submissa voce oravit continuo. Tunc orationes quæ in exitu hominum dici solent persolvimus ; candelam sanctificatam manu pontificis posuimus ; qua accepta, spiritum Deo commendans, dixit, “ In manus tuas, Domine,” &c. Catarri fluxu continuante, psalmos passionum, evangelia, rosarium beatæ virginis, orantes diximus. Et cum pene a catarro esset suffocatus, etenim jam mortuum credidimus, manus extollens, et simul jungens, crucifixum intuens, devotissime bassa voce oravit ; et post paululum ex oculis squamis nigris fluentibus, levatis manibus, proprios oculos clausit ; et facto in pectore crucis signo, permanentibus secum nobis et dicto Roberto Brown, cæterisque fidis servitoribus, consanguineis et affinibus reliquis, conservationi boxarum et pecudum intendentibus, die lunæ, viz. decimo quarto die mensis Januarii, anno domini millesimo quingentesimo decimo quarto, et regni Jacobi Quinti anno secundo, et suæ ætatis septuagesimo sexto, obdormivit in domino.

NUNC antequam de [successore] scribam, narraturus dignum

reputavi de præclaris honestisque capituli fratribus, et eorum suo tempore actibus. Primus erat ecclesiæ decanus prædictus adhuc superstes ; qui præclarum construxit omnibus regni decanis secularibus speculum, et munitissimum, contra quod ecclesiæ inimici prævalere non poterant. Missam etiam idem decanus hora semper undecima, per certos chori vicarios suis impensis fieri fecit, ad divæ virginis aram in ecclesia Dunkeldensi ; et ultra quotidianam elimosinam, omni septimana, certis pauperibus infra civitatem Dunkeldensem decrepitis, bollam farrinæ largiri facit ; et karistia patriam invadente, omni die, pultes pauperibus omnibus venientibus, cuique bona quantitate, tam eo præsentem quam absente, distribui facit. Ecclesiam Dunkeldensem, pro suo officio exereendo, licet ab amicis et consanguineis sæpissime desideratus, non deserit ; ymmo omni die ejus residentia, in majori missa devote cum fratribus interest ; aliis diebus, tribus majoribus horis chorum regit ; et quod majus est, diebus quadragesimæ completorio abesse noluit, devotus devotionis exemplum omnibus præbens. Et postquam ordo prædicatorum in Scotia per magnum illum et illuminatum virum Johannem Ade, sacrarum literarum professorem, ordinis provincialem, reformationi deditus esset, magno auxilio affuit ; locum eorundem in Sancto Andrea fundavit, unde fundatoris eorum nomen consensu merito gerit ; illumque do-

tavit ad sufficientem quinque fratrum sustentationem. Hoc prætereundum non est, quod, dicto Georgeo defuncto, decano minime expectato, propter animarum periculum, ut capitulo tunc visum est, vicarium generalem et cæteros sedis officiales elegerunt; eo postmodum adveniente, et jurisdictionem sibi tanquam principali capituli debitam alleganti, Galterus Leslie de Menmur prebendarius, licet per capitulum electus, coram simul positis fratribus, officio decano tanquam dignissimo cessit; qui in officio illo, sede tunc vacante, adeo omnia regere cœpit, ut sedes non vacare, sed rectorem optimum habere, dici merito poterat. In spiritualibus, primo recepto capituli consilio, normam posuit; deinde in temporalibus, pro bene conservandis nemoribus, limitibus et ecclesiæ juribus, in futuri adventum pontificis, curiam secularem vocari fecit; et comparentibus omnibus inquilinis, et secum majoribus capituli assistentibus, curiam in domo petarum, prope episcopale palatium Dunkeldense affirmavit; et illa affirmata, pro bonis reginæ, patriæ pace et tranquillitate, inquilinos alloqui cœpisset. Quidam Johannes tormentorum jactor, de palatio (postulati nomine), de quo infra est dicendus, versus decanum tormenta jecit, minans majora facere, si decanus a jurisdictione exercenda non desisteret: Ipse tamen ut nobilis et magnanimus, facta pro tempore pro bono reipublicæ peregit; capitulum quid pro tanto facinore faciendum foret

consuluit ; consultusque, Johannem vocari coram certo ad hoc constituto commissario vocari fecit, et propter jurisdictionis ecclesiasticæ impeditiōnem, secundum quod bulla *in cœna domini* canit, excommunicatum declarari obtinuit ; quodam de nostris asserente, declarationem hujusmodi, jure contradicente, injustam esse. Johannes non comparens contumax appellavit, et interim denunciatur excommunicatus. Contumacia et malitia crescentibus, processus aggravatur et reaggravatur. Johannes nec mandatis ecclesiæ paruit, nec appellationem prosecutus est, securus de brachio seculari ; contra quod, ecclesiastici facere vel dicere non audebant, nec ejus malitiæ acquiescere, tanquam Deum timentes. Ipse tamen ecclesiam quotidie cum ei placitum fuerat, tum cum postulato, tum eo absente, ingredi ausus est. Et licet dominicis vel principalibus festis, in majoribus missis, matutinis vesperis et aliis horis canonicis, et missis privatis semper cessatum est, a festo Sancti Nicholai in dominicam in ramis palmarum usque, quærela per decanum consulibus regni facta, misso cursore regio, per literas regias idem Johannes admonetur mandatis ecclesiæ obedire, et campanile quod (invitis decano et capitulo) detinuit reddere ; et sic non Dei, sed principis timore, permissi sunt ecclesiastici, absque Johannis injuria et inquietatione, horas canonicas et missas celebrare ; nec de absolutione et pœnitentia est quæsitum. Sed

ne adulatorie dixisse judicaret, multa de hujus nobilis viri præclaris actibus dicendi mihi copia esset.

CANTOR Ecclesiæ, Jacobus Fentoun, ob suam prudentiam, dicto George Camerarius designatur, et inter præpositos domus et consules secretos primus; qui apud ecclesiam, nisi pro episcopi beneplacito residebat, et eo præsentem. Unam cappam sericam albam lie dammas, cum capucio et lateralibus fimbreis filis aureis sericisque contextis, in ymaginibus Sanctorum obsutis, Dunkeldensi ecclesiæ dedit; et duas capellanas in ecclesia parochiali de Perth, ad altare Sanctæ Mariæ de consolatione, fundavit; tabulam eidem et antemurale decentissime fieri fecit, pariter et sedilia, ac sacellæ cœlaturam opportune coaptari; et domum antiquitus super ripam aquæ de Taya in manso cantoris tulit, et ad anteriorem mansi partem et plateam domum si repararetur cantori sufficientem construxit, et tegulis parvis, vulgo scalye vocatis, tegi fecit; et claustrum canonicorum decoravit; reliqua mansi edificia Magister Robertus Boswell construxit; magnam familiam Perth fovebat, et honestis consanguineis vitæ necessaria præbuit; pauperum fautor, et eis larga manu præsidio, Jacobus cantor vir multum fidelis de suis laudatus vixit.

CANCELLARIUS et Rector de Kynnell, Magister Georgeus Brown, cum episcopo ex sororibus consobrinus, vir prudens, persona decens, in spiritualibus multum honestus, in temporalibus industria plenus; propter quod, episcopi in curia negotia sic sapienter gessit, quod, rege Jacobo Quarto annuente, in Camerarium sedis archiepiscopalis Sancti Andreae, per illustrem Jacobum Ros-siæ ducem et Sancti Andreae archiepiscopum et Regis germanum, est vocatus; per quem, si subita morte captus non esset, promotus ad majora indubie fuisset; et quamvis inter seculares curas multum gravatus, animæ tamen suæ et officii minime imemmor, scolasticum capellanum perpetuum in ecclesia Sancti Georgei celebraturum, et scolam grammaticalem rectorum fundavit; in honorem Divæ Virginis de consolatione desuper facta fundatio; si servetur, ecclesiæ doctos grammaticam dabit. Cappam etiam sericam cappæ præcentoris meliorem dedit, ejusdem tamen coloris.

THESAURARIUS Magister Walterus Small, vicarius de Telling, vir magnarum honestatis et virtutum, inter scriptores tempore suo, in omni scribendi litera primus: Effectus thesaurarius, mansum suum, quem invenit antiquo alpinatum more inhonestum,

adeo reparavit, ut post decani palatium inter canonicorum mansiones honestissima judicaretur.

ARCHIDIACONUS Magister Georgeus Ferne, Georgei episcopi nepos ex sorore, ex partibus transmarinis rediens, in lite archidiaconatus, victoriam contra Johannem Carwenall Anglum reportans, mansum archidiaconatus interius in muris reparavit, cœlavit et depinxit. Oratorium interius et domunculam et fenestram a fundamentis construxit et reparavit : cappam sericam albam de dammas, cum fimbriis ymaginibus obsutis dedit ; tetendit, ut semper dixerat, in ecclesia Dunkeldensi capellanum, in divæ matris Annæ honorem, perpetuare ; sed morte avunculi distractus, asserit se Sancto Andrea hoc perimpleturum.

SUBDECANUS Magister David Abercrumby, capellæ etiam regjæ officium gerens, vir doctus et multum gravis, qui ob doctrinam et gravitatem commissarius generalis, et totius dioceseos Dunkeldensis per Georgeum episcopum decanus est designatus. Ex tantulo beneficio ante secundum adeptum, honestissime se gerens, primus erat alpinatum et agrestis populi excessuum et scele-

rum dignus ultor ; et quia ex nobilium alpinatum familia originem duxit, incestuosi, adulteri et fornicatores ad correxionem vocati, mitius secum agi putantes, suos sibi consanguineos dicunt; respondit subdecanus, ideo se in animarum suarum medelam acriori correctioni intendere velle ; quod audientes, sanguinis communitatem negantes, eos quasi aliorum pœna plectendos offerunt.

SUCCENTOR dominus David Balbirny, ex familia Georgei episcopi materna eidem sanguine junctus, vir devotus, affabilis, benignus, socialis jocundorum comes ; altare Sancti Stephani, devotione Sancti Thomæ martiris, decoravit palliis et missali pergamineo magno volumine scripto : Anniversarium etiam fundavit ut dicitur.

PRÆBENDARIUS de Fonghort, vir magnarum literarum et virtutis, Magister David Meldrum, rector de Blair in Atholia, et officialis Sancti Andreæ principalis, majori altari et ecclesiæ Dunkeldensi donavit duos calices argenteos deauratos, duas phiolas argenteas, et unam patenam similacro Sancti Columbæ patroni ornata ; præter foundationem sacellæ Sancti Columbæ in ecclesia

parochiali Sancti Andreae, et alia multa virtutum opera. Mansionem ejusdem præbendæ, Magister Robertus Boswell succentor honeste reparavit.

PRÆBENDARIUS de Ruffil, dominus Thomas Lyne, licet minimam in ecclesia obtinuerat præbendam, domicilium tamen semper fovebat, et victualia pauperibus larga manu distribuit. Anniversarium perpetuum fundavit, eo jam superstitute, omni anno optime per chori vicarios observatum: cui succedens, Magister David Wauchop in decretis licentiatus, mansum a fundamentis construxit; multa bona opera, ut speratur, si vixerit, facturus.

PRÆBENDARIUS Cragyne, Magister Johannes Young, vicarius de Drone, et commissarius officialis Sancti Andreae principalis, vir in jure canonico licentiatus, apprime doctus, et optimus textualis, vir multum affabilis et omnibus dilectus.

PRÆBENDARIUS de Capeth Makcathill, Magister Johannes Lacock, vir fidissimus, vicarius de Megill, omnibus canonicis re-

ceptione senior. Hic vir, licet non multis abundat beneficiorum emolumentis, familiam tamen amicorum satis largam fovet ; in tabula vultu hilari convivans : Mansum suum a primo lapide clausit et construxit, fundationem capellanæ Sancti Petri, per patruum suum dominum Jacobum Lacok cancellarium fundatam, annuo censu viginti solidorum auxit.

PRÆBENDARIUS Crief, Magister Alexander Moncreif, mansum præbendæ suæ, ante ejus promotionem, in usus Georgei episcopi applicatum, episcopo se in hoc casu capitulo submitte, recuperavit, et a fundamentis clausit et construxit.

PRÆBENDARIUS de Menmure, Magister Walterus Leslie, rector de Blair in Atholia, et sedis Dunkeldensis commissarius generalis ; vir ex utroque parente nobilis, sed sua sapientia et eloquentia multum nobilior ; mansum suum omnino dirutum et vastum muro conclusit lapideo, et omnia illic ædificia et hortum satis placidum struxit ; vir domicilium semper fovens, pauperibus tam pecunia quam victualibus multum liberalis : Ecclesiæ cappam sericam blivio damasco lateralibus fimbriis ymaginibus ob-

sutis dedit; altare Sancti Johannis baptistæ cortinis sericis pal-
leis ac candelabro æneo pendente decoravit: Vir justus et sua jus-
titia in sede prædicta rem publicam conservans; vicariamque ec-
clesiæ de Blair, ob illius et sui animarum salutem, erexit; post
hæc initia, multa majora indubie facturus.

PRÆBENDARIUS de Forgundyny, Magister Walterus Brown,
officialis Dunkeldensis, sacrae theologiæ baccallarius, capellanus
Sanctæ Mariæ (libera nos a pœnis inferni) per resignationem do-
mini Johannis Myretoun promotus præcentoriæ pensionarius, do-
minus meus, cujus curiæ et coram eo scribæ et tabellionatus offi-
cium triennio gerebam. Hic vir ante prædecessorem moritur, nihil
de beneficii fructibus obtinuit. Vir erat per omnia spiritualis,
doctus, et in jure canonico apprime eruditus, et justissimus, sæpe
media nocte matutinale officii debitum persolvit, et summo mane
missam quotidie celebravit; et majori missa postmodum audita,
reliquum diei judicandi, studendi, et jura ac theologiam legendi,
otio contulit; honestum fovebat domicilium; in mensa lectionem
semper habuit; nihil illic scurrilitatis aut detractionis audire vo-
luit, sed honestis facætiis jocundissime epulabatur; altare Sancti
Martini, Sancti Salvatoris contemplatione, palliis et antependiis

ornavit ; Calicem argenteum deauratum eidem fieri suis sumptibus fecit, et [si] non morte preventus esset, multo plura fecisset : Sed sicut communiter bonam vitam bonus finis sequitur, una die postquam missam de Sancto Salvatore celebrasset, febre acuta tactus, testamentum quod in codicillis habuit omni anno confectum, vocato notario, in testamenti formam condidit, executores nominavit, res sibi a Deo concessas, ad pia loca, consanguineos et pauperes legavit : Postea confessore vocato, cum omni maturitate confessus est, et sacramenta Eukaristæ et extremæ unctionis reverenter sumpsit ; sed in extrema hora, plausu manuum, vulgari nostro exclamavit ter, “ Wely, Wely, Wely ;” et facto signo sanctæ crucis, “ in manus tuas” dicens, exspiravit. Post cujus mortem, ejus executor dictum altare Sancti Salvatoris certo annuo reddito auxit ; anniversarium per capellanum ejusdem annuatim fieri, episcopi auctoritate et capituli consensu obtinuit ; libros capitulo legatos deliberavit.

PRÆBENDARIUS de Inchmagrano, Magister Willielmus Lindsay, vicarius de Newtile, mansum honeste reparavit, ymmo quasi de novo construxit.

PRÆBENDARIUS de Mukkersy, Magister Willielmus Ireland, vicarius de Forteviot, vir omnium morum honestate præclarus, et apprime in jure canonico doctus; et postea commissarius dioceseos generalis, unacum præbendario de Menmure est constitutus: Et si lapideas foundationes non fecit, apud Dunkelden, quam primo residens mansum reparavit honeste, et nova ædificia auxit; lapides vivos de suis multos construxit, veluti Magistrum Robertum Ireland, legum doctorem, in poteris magno pretio habitum, ordinarieque lectorem; alium, vicarium de Forgundyny; alium, capellanum Sancti Salvatoris in Perth; reliquos vel beneficiis vel virtutibus, unde promotione digni existerent, suis sumptibus erudiri fecit; bona multa habitis diebus haud dubie facturus.

PRÆBENDARIUS de Alight, dominus Thomas Grig, vir devotus, pro divino servitio honorifice et bene complendo multum zelus, paterfamilias alpinatum more communis, et domicilium plus industria quam beneficii fructibus sustentans, in ecclesia multum honestus; altare omnium sanctorum, per bonæ memoriæ virum Magistrum Johannem Donaldi suum avunculum, in decre-

tis licenciatum et ecclesiæ Dunkeldensis cancellarium, erectum et depictum, palliis et aliis necessariis decoravit ; magni ponderis calicem argenteum fecit fieri ; ecclesiæ cappam sericam albam præcentoris cappæ equalem vel meliorem dedit ; capellanum perpetuum ibidem missas et in choro Dunkeldensi canonicas horas celebraturum, qui et vicarius chori erit, ex annuis redditibus prædiorum rusticorum et urbanorum perpetuavit ; vir magni regiminis existit, et in peccatores publicos discretus ultor, tam cleri quam agrestis populi ; qui suis mediis, peccata nephandissima, in decanatu de Atholia et Drumalbane, sibi per Georgeum episcopum commisso, sapienti animadversione extirpavit ; hominem quemdam ibidem populum seducentem, mutum se fingentem, sed signis et nutibus tam præterita quam futura revelantem, adeo compescuit, ut coram episcopo et clero eum loqui, et qualiter per diabolum ad hoc seductus esset, palam confiteri fecit ; et se ad standum ecclesiæ mandatis offerentem sua prudentia reconciliavit. Post mortem episcopi, Romam devotionis causa adiit ; et sanus, licet sexagenarius et ultra, rediit ; vir valens, bonis operibus semper intentus : Hunc pro suo zelo, dictus Georgeus episcopus præbendarium de Ferdishawe primo instituit ; et postea ad annum in præbendarium de Alicht, possessione ejus nomine recepta, antequam ei publicatum fuit, promovit : Natura iracundus, multum tamen cordialis.

PRÆBENDARIUS de Ferdischawe, dominus Johannes Stephani, musica et organorum lusu excellens ; vir honestus ; propterea, et prædicti præbendarii de Alith interventu, per Georgeum episcopum, in præbendarium de Ferdischawe promotus ; domum in fine ecclesiæ Sancti Georgei, pro præbendario per Georgeum episcopum constructam, reparavit, cæteraque ædificia mansionis illius a fundamentis erexit honeste ; et licet dum erat capellanus de Inver, ex capituli indulgentia, pro suæ ætatis et laboris reverentia, a matutinis abesse solebat, in canonicum dilectus raro abesse notatus est.

POST canonicorum memoriam, qui et episcopi Cardinales sunt, non ab re esse, de eorum vicariis, qui onus diei et æstus portantes jugiter domino famulantur, aliquid referre scriptu dignum, mecum perpendi ; quum ex tantillis laborum stipendiis cæteros regni capellanos præcellunt : viz. Dominus Stephanus Yong, natura et complexione virorum jocundissimus, advocatus consistorialis, et chorista in cantu firmus, et ordinario multum expertus. Magister Johannes Pennicuke, grammaticam, logicam, philosophiam, musicam, jusque canonicum, doctus ; choristarum columna, et horarum canonicarum sedulus observator, domicilium fovens, matrem mul-

tum honorat, de Tullepwy capellanus. Dominus Alexander Ricardi, vir fidus, honestus paterfamilias, de suis ab adolescentia bonæ indolis pueros educavit; alios in religionis augmentum, alios in presbiteros, et alios in chori servitium, aptos dedit; in divino servitio chori observantissimus, et in missa multum devotione exemplaris. Dominus Willielmus Lacock, capellanus Sancti Petri et vicarius de Retray, vir decens, forinsecis laboribus multum insudans, præsertim in resarcionem domorum capellaniæ suæ fundatorum, quod nisi ipse fuisset, ejusdem capellania quasi in nichilum redigeretur. Dominus Jacobus Lawder, unus capellanorum de Abernyde, vir juvenis, pudicus, honestus, musicam bene doctus, matris honorator, curiæ consistorialis advocatus, cordialis et fidus, et suam ob mansuetudinem et majoribus præstitum obsequium apprime dilectus. Dominus Willielmus Martyne, capellanus Sanctæ Katerinæ, vir honestus, musicus; et Johannes frater ejus, juvenis presbiter, simplex et devotus, musicam doctus, grammaticam bonis moribus et diligentia in divino servitio supplevit. Dominus Patricius Gardner, alius quatuor capellanorum de Abirnyde, paterfamilias domesticus, vir in vestibus suppellectili et mensa pauperum honestissimus, devotus, simplex, secundum cor suum semper loquens; propter ydeoma hibernicum, et suam gravem honestatem, vicepœnitentiarius. Dominus Thomas Bettoun, capellanus de

Muklere ; vir placidus, in musica apprime eruditus, tam scientia quam voce ; in omni genere cantus chorista firmus, et chori columna ; matrem honorat et fovet ; otium semper fuget, in suppellectili honestus, et hortorum cultor. Dominus Alexander Fairefoule, grammatica bene eruditus ; casus conscientiae studuit, ideo ydoneo pro confessore habetur ; notarius fidelis et firmus ; domicilium ex bonis capellaniarum de Abbernyde fovet. Dominus Johannes Martyne, rector de Loyd, Johannes Leslie capellanus omnium sanctorum, et Willielmus Scherar capellanus, presbiteri de Dunkeldensi civitate oriundi, musicam apprime docti, et a juventute ad officium regendumque chorum habituati. Dominus Finlaius Symsoun, scriba curiae consistorialis, scriptor bonus dictamine et officio fidelissimus ; qui nec prece, pretio, odio vel amore, a recto in officio tramite duci poterat, lucrum non curans, modum strictum obsequendi servat.

NUNC a digressionem ad rem revertor. Georgeo episcopo in extremis agente, de ejus morte apud sedem fama fuit, ubi pro tunc Johannes Comes Atholiae, filius Johannis Comitum fratris regis Jacobi Secundi illustris, patriae tanquam pater praesens erat ; vocatis ecclesiae canonicis, petiit episcopalia palatii sibi dari, et Andream germanum praebendarium de Crage, in episcopum eligi ; super quibus sine mora consulti, quidam eidem sanguine juncti, et quidam

rerum suarum amissione timentes, petitis annuunt. Et pontificis funere peracto, in capitulo convenientes, diem pro futuri pontificis electione præfixerunt, canonicis absentibus per edictum publicum ad hoc citandis. Quo adveniente, contemplatione comitis

ANDREAS STEWART ejus germanus, quia subdiaconus non erat, in episcopum est postulatus, omnium consensu, et eo magis, quia comes potens erat ecclesiam, ecclesiasticos, et patriam ab oppressoribus et depopulantibus defendere; missumque est ad illustrissimum Johannem duces Albaniam regni gubernatorem et Regis tutorem, per primarios regni alias designatum, Gallias adhuc existentem: qui renuit quicquam in prælaturis disponere, usque adventum suum in regnum; qui ad mare occidentale applicuit, in mense Maio, anno domini millesimo quingentesimo decimo quinto. Cujus gratiam obtinens postulatus, intercessore comite est responsum, ut per literas regias, de fructibus vacantis sedis, quia illos per literas ordinarias habere non poterat; ymmo jus commune secutus, decanus futuro successoris conservavit eosdem. Interim, audito dicti Georgei pontificis morte, Regina quæ tunc fuerat Perth, unacum dominis concilii opinioni suæ faventibus, consensum suum ex parte Regis, præbuit magistro

GAVINO DOWGLAS, viro illustri, Comitis Angusiæ patruo, theologiam et canones apprime docto, ingenioso, præposito ecclesiæ beati Egidii de Edinburgh, et rectori de Hawche; cujus consensus prætextu, et ut quidam volunt, supplicatione Regis Angliæ, in episcopum Dunkeldensem per Leonem Papam decimum est promotus: Quare in prima sessione post gubernatoris adventum, vocatus tanquam infrictor statutorum Parliamenti, omnium iudicio præscriptioni est adjudicatus; et ideo venerabili patri in Christo, Johanni Hepburne, priori ecclesiæ primitivæ Sancti Andreae, sede ejusdem vacante, vicario generali est commendatus; primo in Castro Puellarum, deinde in castro Sancti Andreae, tertio in castro Dunbar, et ultimo in Castro Puellarum, per annum et ultra, est carceris custodiæ mancipatus. Quod Regina ægre ferens, cum Alexandro domino Hwme magno camerario convenit, ut in ejus custodia fierent Rex, et frater ejus Alexander dux Rossia, &c. Die statuto misit camerarius apud castrum Striveling, et secum collegit apud Peblis magnum exercitum; quod audiens dominus gubernator, cum dominis et magnatibus regni, ex Edinburgho versus Peblis equitat, et dominum Flemyng ad Strivelingense castrum misit; ubi adhuc erant Rex et frater ejus nondum deliberati. Postea vero infra breve, Regina cum comite Angusia-

rum sponso, et Camerario, Angliam intraverunt, et ibidem aliquamdiu residentiam fecerunt, quousque inter eos et gubernatorem concordia inita est, remissionibus datis ; ex qua etiam concordia liberatus erat dictus præpositus, et postmodum gratiam gubernatoris, mediante cancellario, et episcopatum est adeptus ; quem idem cancellarius sumptibus suis apud Glasgwe in episcopum consecravit, datis sibi ultra hoc jocalicis muneribus. Tunc Gavinus episcopus consecratus, rediens, ecclesiam primitivam Sancti Andreae primo indulgentiarum tempore octavarum Michaelis visitavit ; deinde ecclesiam suam Dunkeldensem, ubi prima nocte ad ecclesiam a clero et populo benigne est receptus, omnibus Deum de tam nobili docto et decenti episcopo laudantibus, publicatis bullis ad majus altare, et benedictione data. Quia palatium et campanile tenuerunt servitores postulati, eo absente reddere noluerunt, dicentes se illa nomine gubernatoris custodire, palatium decani adiit, ubi honestissime hospitatus est ; sed crastino episcopum ad ecclesiam e decani palatio adire, tormentorum jactu prohibuerunt ; quare illo die divina celebrare et audire in decani palatio est compulsus. Et vocatis canonicis, eorum obedientiam recepit, cui ex toto corde obedierunt ; et viceversa ipse certa ecclesiæ statuta servare juravit. Postea facto prandio, quid facturum esset, nobiles et ecclesiasticos secum existentes, consuluit ; quibusdam respon-

dentibus, ipsum episcopum apud dominum gubernatorem pro remedio mittere; aliis ipsum in propria personâ curiam visitare, consulerunt; sed ipsis consultantibus, ecce nuncius astat Andream postulatam arma cepisse, et contra episcopum, ad tuendum palatium in proximo venientem enarrat. Tunc ex campanili et palatio episcopali tormenta jaciuntur; nobiles cum episcopo pro ejus defensione se ponunt; nobilis decanus, Jacobus dominus Ogilvy, David Magister Crawfordia, Colinus Campbell de Glenurquhare, Dominus Kynfawnis, præbendarius de Alyth, et multi alii ecclesiastici. Interim mittitur in Angusiam, et alias partes, pro episcopi amicis, et in crastinum convenerunt a Montrose, et inferioribus partibus de Fyffe, et ex omni parte circumjacente, in maxima multitudine, quam vix poterat civitas capere. Tum taliter per dictum præbendarium de Alyth provisum, ut nec hominibus nec equis defuerunt hospitia, cibaria, pabula vel stabula. Postulatus non valens palatium intrare, in silvas se suscepit. Tunc ex parte episcopi, tenentes campanile et palatium, sub excommunicationis pœna, moniti sunt ea episcopo tradere; quod renuentes, episcopi familia, cum quibus præbendarius et Jacobus Carmichael, vi et prudentia campanile obtinuerunt. Tunc custodes palatii plus timentes, ad certas horas, treugas et sententiæ excommunicationis continuationem, obtinuerunt; hora tamen adveniente, palatium tamen prius

obsessum reddere noluerunt ; sed meritis Sancti Columbæ, absque alicujus morte aut mutilatione obtentum est. Quod audiens comes cum fratre, curiam regiam petierunt, quærelam deponere. Episcopus ex adverso se defendere comparuit, et aliquandiu hinc inde coram domino gubernatore certatum est. Tamen sapientia quorundam dominorum consilii, in hanc deventum est concordiam, viz. ut postulatus receptos fructus liberè haberet, et ecclesias de Alicht et Cargill in pensionem, dando episcopo certas victualium celdras. Tunc ecclesiæ et ecclesiasticis et toti patriæ pax secuta est : Unde idem episcopus ad bona opera, licet ære oneratus alieno, se dedit ; et opus pontis, a prædecessore cœptum, arcu uno completo, et per ejus executores duobus aliis arcubus, pila fundata operatis, ulterius continuare non desiit ; ymmo receptis ab executoribus ducentis viginti libris, honorificè continuavit, adeo ut in brevi aditum tam agrestibus quam pedestribus fecit. Reliqua bona ejus opera, in spiritualibus et temporalibus, suis et ecclesiæ canonicis, uti majoribus scribere relinquo.

C O M P O T U M
MAGISTRI FABRICE
PONTIS DUNKELDENSIS.

M.D.XIII.—M.D.XVI.

IMPRESSUM EDINBURGI,
M.DCCC.XXXI.

AT a Meeting of the Committee of Management of the BANNA-
TYNE CLUB, held at Edinburgh, on the 20th day of June, 1831,

IT having been stated to the COMMITTEE that, in pursuance of the Resolution of the 2d of March last, the copperplates engraved for the former Edition of MYLNE'S LIVES OF THE BISHOPS OF DUNKELD had been furnished to the Subscribers to a reprint of that work, which was now far advanced at the press; and that to this reprint there was to be annexed an Appendix, consisting of certain extracts from the Accounts of the Bishopric, exhibiting a curious detail of the Expense of erecting the Bridge over the Tay at Dunkeld at the beginning of the Sixteenth century, particularly referred to in Mylne's work, the COMMITTEE, desirous of putting it in the power of the Original Members of this Club to add this Appendix to their copies of the first Edition, authorize the SECRETARY to make an application to the Subscribers of that second Edition for permission to throw off eighty separate copies of it, at the expense and for the use of the Club.

D. LAING, Secretary.

QUO major huic libello fides habeatur, pauca de auctore præfari placuit. Ubi enim monumenta e quibus confectum sit opus jamdudum omnia periere, operis quidem pretium tum maxime augeatur, tum veram scriptoris æstimationem eo accuratius exquirere necesse est.

Quanquam de vitâ nostri privatâ perpauca tradita sunt, munera tamen publica, quæ per crescentes usque dignitatis gradus explevit, talem eum fuisse arguunt, et tam faustis veritatis cognoscendæ occasionibus potitum, ut vix dubitare liceat, quin res vel suo tempore vel vetustiori gestas, quarum documenta in manibus habuisse compertum est, fideliter scripserit.

Alexander Myln, dictus in libro suo “prebendatus de Monythly in diœcesi Dunkeldensi, ejusdemque diœceseos canonicus,

officialis, et decanus Christianitatis in partibus Angusiarum," antea, ecclesiæ Aberdonensis canonicus fuisse traditur. Quo tempore sedem mutaverit haud satis liquet : constat tamen ex veteri computorum libro episcopatus Dunkeldensis, eum hujus diœceseos prebendarium jam fuisse anno 1505, eoque anno, mense Aprili, officium decanatus ruralis suscepisse.

Hisce muneribus ita functus est, ut dignus sit habitus qui, anno 1516, Monasterii Augustiniani Beatæ Virginis de Cambuskenneth Abbas designaretur, in locum Patricii Painter, Regis Secretarii, qui valetudine laborans a rebus gerendis secessit, reservatis beneficii fructibus. Vixit Patricius, aliquot saltem annos, officii superstes, nec multo, ut videtur, ante annum 1522, reditus monasterii successor accepit.

Tam opulento beneficio tandem revera potitus, factusque cœnobii præses, regiæ sedi vicini, et, ecclesiasticæ dignitatis jure, Dominus parlamenti, auctor noster statim in apertum prolatus est. Post annum 1525, Commissionarius sæpenumero ad parlamenta tenenda nominatus, semper fere ad *articulos* pro *clero* electus, Dominorum

III

quibus officio fuit Regem comitari unus, orator in Angliam a Regina fratri Henrico VIII. aliquando missus, et in aliis negotiis temporis istius turbidi versatus est; ex quibus omnibus, quanti apud æquales haberetur facilè conjicere licet.

Ad munus Officialis delectus cum sit, fas est credere eum juris civilis satis fuisse peritum. Quam grata ei esset causarum disceptatio constat vel ex molestâ interdum, actionum litiumque inter episcopos et eorum clientes motarum, narratione. Jurisperitiæ fama, et dignitas satis ampla, cum maxima rerum experientia, procul dubio effecere ut dignissime primus nominaretur præses curiæ civilis supremæ, anno 1532 institutæ. Hoc officio functus usque ad annum 1548, quo, ut videtur, diem obiit.

De vita et moribus domesticis ecclesiastici regularis vix multa explorare spes est. Extra monasterii limen raro pedem protulit, nisi ad negotia publica obeunda. Casu tamen, partim quoque diligentia cujusdam Fratris monasterii de Cambuskenneth, compertum habemus, Abbatem nostrum, civilibus licet occupatum negotiis, incubuisse tamen studio conventus sui ad strictam ordinis

regulam redigendi, non solum rituum et dierum solennium observantiâ, sed pietate etiam, benevolentîâ, et bonis moribus. Hujus Fratris liber,* Abbatis nostri curiosam aliquantum in rebus minimis administrationem exhibet, sed idem simul vitam monasticam honestiorem depingit, et a vulgari opinione de cœnobiî licentiâ magis alienam, quam plerumque, e scriptoribus etiam ecclesiasticis, colligere fas est. Cupiebat noster præsertim literarum studium, in ædibus suis “obliteratum penitus,” restaurare; eoque, monasterii sui novitios optimæ indolis, in universitate celeberrima Parisiensi, suis sumptibus, instituendos curavit.

Hæc consilia liberalitatem sapiunt, et pro monacho et pro ævo in quo vixit, spem superantem, atque indolem rerum civilium curâ exercitam et politam demonstrant. Confitendum est, hoc in libro, quem ante vitæ publicæ initium scripsit, episcopos omnes sine multo discrimine et vix ob maximas virtutes laudari; adeo ut aliquantulum agri diœcesi additum, paries ecclesiæ refectus,

* “Exegesis in canonem divi Augustini recens edita per fratrem Robertum Richardinum celebris ecclesiæ Cambuskenalis canonicum.”—*Lutetia*. 1530.

fenestra vitro decorata, calix aut *cappa* donata, haud minori diligentia quam facta vere benevola, vel ad mores et religionem reformatam spectantia, celebrentur. Non nostrum tamen est in hanc nugarum curam animadvertere, per quam nobis multa servata sunt, quæ in unum collecta, alicujus sunt pretii, singula, et minoris æstimanda forent, et jamdudum periissent.

Idem fere antiquitatis studium secutus, quo, ex archivis dioceseos, jejuna hæc commentaria episcoporum composuit, melius postea de patria meritis est auctor noster, chartis veteribus monasterii sui de Cambuskenneth, regiâ auctoritate et sub testimonio magni sigilli, transcriptis, "cum jam" ut ait ipse "propter humorem et aeris rubiginem loci aquosi, quasi absumerentur." Registrum ita confectum, unicum in Scotia tantâ auctoritate firmatum, adhuc in bibliotheca advocatorum Edinburgi asservatur.

Hæc de auctore. Constat hunc libellum de vitis episcoporum ad finem ductum esse anno 1515. Liber manuscriptus ad cujus fidem et editio prior (1823), atque hæc nostra, typis excusa fuit, parvus est codex membranaceus, in 4to, in bibliotheca advoca-

torum servatus. Ejusdem libri primus possessor fuisse videtur Thomas Greig prebendarius de Alicht dioceseos Dunkeldensis, quem in hoc libro cum laude commemorat auctor noster. Deinde in manus pervenit Domini Gulielmi Sinclair de Roslin, Militis, qui multos magni pretii libros coegit, quorum nonnullis bibliotheca illa advocatorum ditata est. Codex ipse minimam auctoritatem sibi arrogat, præter scripturæ ætatem auctori æqualem. Quanquam ornatus non ineleganter, exaratus tamen esse videtur a scriba, vel linguæ Latinæ imperito, vel negligentissimo. Non aliud exemplar Latinè exstare creditur : traductiones aliquot Anglicè M.S.S. occurrunt (quarum una inter acta societatis antiquariorum Perthensis modo in lucem exiit), omnes tamen minimi pretii, ex hoc vitioso exemplari haud dubiè descriptæ, ejusque mendas omnes prorsus conservantes.

In hac recensione errata quædam prioris emendantur, paucissima ex conjecturâ mutantur. Ubi de sensu auctoris haud liquido constabat, ipsa verba literasque manuscripti dare placuit, quanquam

aliquando vel Latini sermonis proprietati repugnantia. Multa sine dubio restant corrigenda.

De appendice denique pauca monenda. Illa constat e computis quibusdam, excerptis de veteri libro computorum episcopatus Dunkeldensis, codice amplissimæ auctoritatis, cui multa insunt quæ publici juris fieri mererent ; computi autem impensarum pontis Dunkeldensis edificandi præsertim utiles visi sunt, ad illustrandum librum de episcopis, qui hunc pontem condidisse maximum sibi honorem duxerunt, et cujus libri auctor impensas operis ipse administravit, “ Magister fabrice pontis” appellatus. Si excerpta nostra in tædium produci videantur, vel hæc sit excusatio, quod mores quidam exoleti in his computis referantur, et voces etiam rarissimæ et quæ alibi frustra quæsitæ forent, in eis occurrant.

Accedit huic editioni nominum et locorum index.

APPENDIX.



T A B U L A.

- I. COMPOTUM MAGISTRI ALEXANDRI MYLNE, CANONICI DOUNKELDENSIS, AC DECANI CHRISTIANITATIS EJUSDEM IN PARTIBUS ANGUSIARUM.—XVII NOV. M. D. XIII. P. 81
- II. COMPOTUM MAGISTRI ALEXANDRI MYLNE, CANONICI DOUNKELDENSIS, AC MAGISTRI FABRICE PONTIS EJUSDEM.—XVII NOV. M. D. XIII. P. 83
- III. COMPOTUM MAGISTRI ALEXANDRI MYLNE, CANONICI DOUNKELDENSIS, AC MAGISTRI FABRICE PONTIS EJUSDEM.—VI NOV. M. D. XIV. P. 108
- IV. COMPOTUM MAGISTRI THOME BROWNE, MAGISTRI FABRICE PONTIS.—I FEB. M. D. XV. P. 114
- V. COMPOTUM MAGISTRI THOME BROWNE, VICARI DE OUCHTERGAWIN, AC MAGISTRI FABRICE PONTIS DOUNKELDENSIS.—XXII JAN. M. D. XVI. P. 129

I.

DECANUS ANGUSIARUM,

M. D. XIII.

COMPOTUM Magiftri Alexandri Mylne Canonici Dounkelden-
fis ac Decani Criftianitatis ejuſdem in partibus Angufiarum
redditum apud Dounkelden decimo ſeptimo die menſis Novem-
bris anno domini milleſimo quingentefimo decimo tercio De
omnibus ſuis Receptis et Expenſis ab ultimo compoto ſuo reddito
apud Clony ultimo die menſis Decembris anno 1710^o undecimo
Auditoribus Magiftris Jacobo Fentone precentore Georgio Ferne
Archidiacono Johanne Lacok graniterio Domino Thoma Greig
prebendario de Alytht et me Thoma Broune ſcriptore preſencium

ITEM Idem computans onerat ſe de x li. xix ſ. de Reſta ultimi
compoti ſui redditi ut ſupra

Summa Reſte patet

IDEM comptans onerat se de xxxij li. de integris procuracionibus ecclesiarum sui decanatus in prioribus comptis expressarum de anno te° v° xj^{mo} Et de xxxij li. de eisdem procuracionibus eandem ecclesiarum de *Crop* anni te° v° xij^{mi} Et de xxj li. ix \textasciitilde . iiij^{d} . de Cota Domini ex testamentis defunctorum per tempus compti

Summa hujus oneris iiij^{xxv} li. ix \textasciitilde . iiij^{d} .

Summa tocius oneris cum Resta iiij^{xx} xvj li. viij \textasciitilde . iiij^{d} .

EXPENSE Ejuſdem In primis allocatur comptanti per liberationem factam Domino per manus precentoris de procuracionibus ecclesie de Kinlewin de annis compti ut patet per scripturam Domini ejus manu subscriptam ostensam super comptum v li. vj \textasciitilde . viij \textasciitilde . Et allocatur eidem comptanti per liberationem factam Magistro Roberto Spanke Senescallo Domini presenti et fatenti super comptum de viginti libris pro quibus respondebit in proximo compoto suo reddendo Et allocatur eidem per liberationem factam Magistro David Carraile Clerico Vicecomitis de Forfar pro quatuor Retornatis terrarum de Cragnathroxxvij \textasciitilde .

Summa hujus expense xxj li. viij \textasciitilde .

Summa omnium expensarum xxvj li. xiij^{d} \textasciitilde . viij \textasciitilde . Et debet comptans pro quibus respondebit in compoto fabricæ Pontis reddendo $\text{iiij}^{\text{xxix}}$ li. xiij^{d} \textasciitilde . viij \textasciitilde .

II.

MAGISTER FABRICE PONTIS,

M. D. XIII.

COMPOTUM Magiftri Alexandri Mylne Canonici Dounkeldensis ac Magiftri fabricæ Pontis ejuſdem redditum apud Dunkeld decimo ſeptimo die menſis Novembris anno domini milleſimo quingentefimo decimo tertio De omnibus ſuis Receptis et Expensis ab introitu ſuo ad curam dicte fabricæ die videlicet decimo octavo menſis Maij vigilia Penthecoſtes in anno domini milleſimo quingentefimo decimo et confeccationis domini noſtri Georgii Epifcopi vigefimo ſexto Auditoribus

IDEM Compotans onerat ſe de iij^{xx}ix li. xij ſ. viij d. de Reſta ultimi Compoti officij decanatus Criſtianitatis Dounkeldensis de Angus ut patet in pede ejuſdem redditi ut ſupra

Summa Reſte patet

IDEM comptans onerat fe de v celdris iij^{or} bollis ij firlois farrine receptis a Magistro Johanne Lacok graniterio Domini in Dounkelden de quibus idem graniterius reddidit comptum ut patet in eodem reddito apud Dounkelden xxvj Octobris anno domini millefimo quingentesimo decimo in compoto expensarum farrine Et de ix celdris xij bollis farrine ab eodem graniterio recept. de quibus similiter reddidit comptum apud Clony xxvj Novembris anno domini millefimo quingentesimo undecimo Et de xj celdris ij bollis ij firlois victualium ordeis et farrine recept. ab eodem de quibus eciam reddidit comptum apud Dounkelden xxiiij^{to} Novembris anno 17^{to} v^o xij^{mo} Et de ij celdris vj bollis iij firlois farrine recept. ab eodem graniterio de quibus similiter reddidit comptum de sua resta precedentis compoti apud Dounkeld xvij Februarij anno 17^{to} v^o xij^{mo} Et de xij celdris iij firlois iij peccis victualium receptis ab eodem sibi in suo proximo compoto reddendo allocandis

Summa Victualium xlj c. x b. ij f. iij p.

EXPENSE eorundem patent et patebunt in compoto dicti graniterii cum ipse deliberavit eadem victualia operariis pontis Et sic eque cum comptante

ITEM, Idem comptans onerat fe de
 avenarum deliberat. ad verudas per Jacobum Muyr averarium
 Domini ut fimiliter patet et patebit in comptois fuis.

Summa Avenarum

Expofite ad verudas et eque cum comptante.

ITEM Idem comptans onerat fe de ^{or c or xx} iij li. ^{or} iij ſ. vj d.
 receptis a Domino et aliis ejus nomine ut patet in libro Domini
 manu comptantis ſcripto oftenſo ſuper comptum Et de xx^{vj} ſ.
 receptis a Magiſtro Johanne Lacock graniterio Domini de qui-
 bus reddidit comptum apud Dunkelden decimo tertio die men-
 ſis Decembris anno domini milleſimo quingentefimo decimo Et
 de ^{or} xxxiiij ſ. receptis ab eodem de quibus fimiliter reddidit com-
 potum apud Clony xxvj Novembris anno ^{tc} v^c xj^{mo} Et de
 xvij li. vj ſ. ij d. recept. ab eodem graniterio Lacok de quibus
 fimiliter reddidit comptum apud Dounkeld xxiiij^{to} Novembris
 anno ^{tc} v^c xij^{mo} Et de xlviij ſ. de quibus fimiliter reddidit
 comptum apud Dounkeld xvij februarij anno ^{tc} v^c xij^{mo} pre-
 dicto Et de xj li. xv ſ. x d. recept. ab eodem eidem in proximo
 compoto ſuo reddendo allocan. Et de vij li. ij ſ. v d. receptis a

Domino Gilberto Scharpe graniterio Domini in Perth de quibus idem graniterius reddidit compotum apud Tullelum xxviiij die mensis Novembris anno domini millesimo quingentesimo decimo Et de vj li. xv s. vj d. recept. ab eodem de quibus reddidit compotum apud Dounkeld duodecimo die mensis Februarij anno ʒc° v° xj^{mo} Et de viij s. recept. ab eodem de quibus eciam reddidit compotum apud Tullelum xxix Aprilis anno ʒc° v° xij^{mo} Et de xxv li. xvij s. iij d. recept. ab eodem de quibus similiter reddidit compotum apud Tullelum xvij^{mo} Januarij anno ʒc° v° xij^{mo} Et de ix li. iij s. ix d. receptis ab eodem de quibus reddidit compotum apud Tullelum xvij Aprilis anno ʒc° v° xij^o. Et de xxv li. viij s. x d. recept. ab eodem eidem in proximo compoto suo Reddendo allocan. Et de vj li. recept. a Domino Willielmo Moncur graniterio Laudonie de quibus idem graniterius reddidit compotum apud Dounkeld xj^{mo} die mensis Decembris anno ʒc° v° xj^{mo}. Et de xvj li. recept. ab eodem de quibus eciam reddidit compotum apud Dounkeld xxij die mensis Februarij anno ʒc° v° duodecimo Et de xj li. xij s. ^{or} iij d. recept. a Magistro Jacobo Lyne decano Laudonie sibi in proximo compoto suo reddendo allocan. Et de xxvj li. xij s. ^{or} iij d. receptis a Patricio Hay de Eschindy sibi compotanti per obligacionem Domino de octuaginta mercis factam et cessionatam in opus Pontis Et de xlviij li. receptis a domino

Thoma Greig Canonico Dunkeldenſi nomine et ex parte Domini Et de v li. recept. a Comitiffa Atholie ex teſtamento Domini Comitſ Et de iij li. vj ſ. viij d. recept. a Georgeo Balberny ferjando de quibus idem ferjandus reddidit comptum ut patet in eodem reddito apud Dunkeld undecimo die menſis Januarii anno domini milleſimo quingentefimo xij^{mo}

Summa hujus oneris.

Summa tocius oneris Argenti vij^c xix li. xvj ſ. vij d.

Summa tocius oneris cum Reſta, vij^{c or xx} iij ix li. x ſ. iij d.

EXPENSE ARGENTI. In primis allocatur comptanti per liberationem factam cedentibus duodecim axes in filva ad redas operis xvj d Et allocatur eidem per empcionem viginti ſeptem bollarum avenarum precio bolle triginta denarii in anno domini 7c^o v^c undecimo et undecim bollarum precio bolle quinque ſolidi deliberat. Jacobo Muyr averario domini de quibus viginti ſeptem bollis reddidit comptum apud Dounkelden die octavo menſis Octobris anno 7c^o v^c undecimo pro reliquis reſpondit in pecunia vj li. ij ſ. vj d Et allocatur eidem per empcionem duorum millium noningentorum quadraginta et octo onerum arenarum, precio cujuſlibet oneris obulus, extenden. in pecunia ad

vij li. vij § Et allocatur eidem per empcionem duodecim plufcolorum equinorum vulgariter *lie girtht bukles* ad ufum veredorum, viij d. Et allocatur eidem per empcionem unius pincte cum dimedia bituminis ad mittigandum caliditatem umbonis rotarum et fanandum ulcera equorum leforum xij d. Et allocatur eidem per liberacionem factam Patricio Tiry Patricio Mafone et multis aliis carpentariis conductis pro diebus et feptimanis in adjutorium Carpentarii proprii circa opus de *lie bulwark* diverfis vicibus per tempus compoti x li. xvj §. vj d. Et pro *lie hadder* ad idem opus iiij §. ij d. Et allocatur eidem per empcionem xij capiftrorum equinorum ad verudos precio cujuslibet fedecim denarii in pecunia xvj §. Et allocatur eidem per liberacionem factam Johanni Lard et fervis in mercedem laboris corticacionis corriorum ad *lie bulwark* viz novem dacrarum et quinque hydys xix §. iij d. Et allocatur eidem per empcionem viginti unius bollarum cum dimedia et tribus firlois corticis ad dicta coria corticanda xlij §. vj d. Et allocatur eidem per empcionem feptemdecim librarum et duorum *lie wefpis* calabis vario precio xvj §. ix d. Et allocatur eidem per empcionem trium petrarum et quatuordecim librarum cebi et plus abfque pondere ad ufum rotarum fabrorum fervantium ac reliquum opus pontis xvij §. vj d. Et allocatur eidem, per empcionem candelarum ad ftabula verudorum per totum

tempus compoti xxv š. v đ. Et allocatur eidem per empcionem decim cellarum redarum equinarum *lie noppis* coriorum equinorum reformationemque illarum ac panni lanei pro pannulis earundem ac mercedem laborum artificum ceterisque expensis singulis circa cellas hujusmodi xxij š. iij đ. Et allocatur eidem in expensis antique fimbe presentate per Dominum Abbatem de Scona portate ad Dounkelden xx^{ti} š. ij đ. Et allocatur eidem pro mercede laboris Domini Anthonij M^cDowale construentis fimbam que nunc est apud lapicidium pro vehendis lapidibus ex lapicidio ad bighas et pro bitumine pice et aliis necessariis ad dictam fymbam preter tabulas et ligna que fuerunt Domini et per eum eidem donate xij li. xj š. iij đ. Et allocatur eidem similiter in construccionem fimbucule que est apud *lie bulwark* in mercedem laboris artificum et aliis expensis preter ligna et tabulas xxxiii š. viij đ. Et allocatur eidem in *lie uncoftis* fymbe calcis empte in Perth per Dominum et pro portitura ad opellam xxxv š. viij đ. Et allocatur eidem in combustionem ufrini calcis de testis oftriorum in Crawmond circumportat. ad Perth nawlo et *lie uncoftis* vj li. Et allocatur eidem in empcionem quindecim celdrarum calcis precio celdre duodecim solidi et viginti sex celdrarum calcis precio celdre merca extenden. in pecunia quadraginta unius celdrarum ad xxvj li. vj š. viij đ. Et nautis in

efculentis et poculentis bina vice portan. calcem ad Perth xij §.
 Et *lie pynouris* in deplicionem sымbe et asportacionem ad Bothame
 calcis capien. pro celdra in suas mercedes laboris viij §. viij d.
 Et allocatur eidem per empcionem octodecim celdrarum et novem
 bollarum calcis precio bolle duodecim folidi extenden. in pecunia
 ad xj li. ij §. ix d. Et in *lie uncoflis* x §. xj d. Et per empcio-
 nem fedecim celdrarum calcis precio celdre merca extenden. in
 pecunia ad x li. xij §. ^{or} iij d. Et in *lie uncoflis* vij §. x d. Et allo-
 catur eidem in *lie cariagis* calcis lvij §. Et pro firma domus calcis
 in Perth xij §. Et allocatur eidem in empcionem mille sexcentorum
 . *lie plancheor naile* duorum millium quadraginta *lie dur naile* et
 sexaginta *lie windok naile* precio xxxvj §. ij d. Et per empcio-
 nem quingentorum *lie garrow naile* ex Perth precio merca ducen-
 torum *lie planchour naile* tres folidi et ducentorum *lie dur naile*
 octodecim denarii extenden. in totali pecunia ad xvij §. x d.
 Et allocatur eidem per liberacionem factam Thome Wrycht car-
 pentario conducto in festo Sancti Martini in hyeme in anno domini
 millesimo quingentesimo undecimo capien. per annum quadraginta
 mercas de quibus a graniterio celdram farrine et octo bollas ordeii
 pro duodecim mercis annuatim in completam solucionem sui mer-
 cedis laboris a dicto termino fue conductionis in festum Sancti
 Mertini proxime futurum extenden. ad duos annos integros in

pecunia xxxvij li. vj š. viij d. Et allocatur eidem per liberacionem factam Malcolmo Sawar in mercedem laboris existenti cum Thoma Wrycht a decimo quinto Decembris anni 14^{to} 15^o undecimi in ultimum mensis Februarii ejusdem anni diversis vicibus in silva pro cedendis lignis aptatis in tabulis ad opus *Bulwark* lj š. vj d. Et allocatur eidem per liberacionem factam Donaldo Sawar capien. per annum quadraginta solidos feodi cum prandeo Domino presente et ferrina eo absente a vigesimo quinto Februarii anni 14^{to} 15^o undecimi in eundem diem anno revoluto scilicet 15^o duodecimo demptis inde quinque solidis et quatuor denariis quia infirmabatur novem septimanis quibus ex elemosina recepit ferrinam xxxiiij š. viij d. Et allocatur eidem Domino absente in *lie dyner* et *nwnschankis* capien. denarium die non feriato in dicto anno iij š. xj d. Et eidem in anno domini 14^{to} 15^o decimo tercio septimanis et diebus dum fuerat ad opus pontis in diem presentis compoti inclusive ex juramento carpentarii xvij š. Et allocatur eidem pro ferratione duarum rudarum tabularum de quercu xxij š. Et per liberacionem factam Patricio Sawar ferranti cum Thoma Sawar infirmo dicto Donaldo in mercedem sui laboris unius rude quarte parti et octave partis rude xiiij š. v d. Et Thome Sawar in refectionem pannorum et in *lie dyner* et *nwnschankis* a nono Decembris anni 14^{to} 15^o undecimi in diem decimum

sextum Maii proxime extunc futurum vj š. iiij d. Et eidem Thome in feodo suo capien. quadraginta solidos annuatim a festo Penthecoftes in anno domini millesimo quingentesimo duodecimo in festum Sancti Mertini in yeme in anno domini millesimo quingentesimo decimo tertio solut. per computantem iij li. Et eidem a tertio Septembris anni predicti quingentesimi duodecimi in diem presentis compoti inclusive in *lie dynner et nunschankis* absente Domino vj š. viij d. Et allocatur eidem per liberacionem factam Domino Anthonio M^cDowale rectori de Kilmawewnoth a secundo die mensis Septembris anni 7^c v^c duodecimi in duodecimum Julii anni 7^c v^c decimi tercii laboranti cum suo seruo circa *lie Bulwark centreis et brandeir* capien. per diem ad prandium eorundem absente Domino quatuordecim denarios extenden. in totali summa ad centum quinquaginta octo dies extenden. in pecunia ad ix li. ^{or} iiij š. iiij d. Et allocatur eidem per liberacionem factam Waltero Wrycht seruo dicti Domini Anthonii ad ejus pannos xx^{ij} š. Et allocatur eidem per liberacionem factam Alexandro M^cDowale carpentario laboran. cum Thoma Wrycht circa *lie Bulwark* ad septem septimanas capien. in septimana octo solidos extenden. in pecunia ad iij li. vj š. viij d. Et allocatur eidem per liberacionem factam Johanni Wrycht in Megill componen. tria paria rotarum et capien. de die Domino absente fedecim

denarios et eo prefente octo denarios cum prandio extenden. in pecunia ad iij li. viij ſ. Et allocatur eidem dat. eidem Johanni ab ultimo Junii in decimum sextum Augufti in anno domini 1700^o decimo tercio capien. per diem fedecim denarios et componen. vnum par rotarum ac dolan. pro pluribus ligna operi apta xlvi ſ. Et allocatur eidem per liberacionem factam Johanni Scharpe carpentario laboran. cum Thoma Wrycht a vigefimo quarto Augufti anno 1700^o v^o xij^{mo} in xxv Septembris ejuſdem anni incluſive capien. de die octo denarios et extenden. ad viginti quatuor dies mechanicas in pecunia xvj ſ. Et allocatur eidem per empcionem unius corde continen. in pondere centum viginti novem libras extenden. in pecunia groſſe monete ad duodecim ſolidos et undecim denarios facien. in moneta regni Scotie xlij ſ. Et allocatur eidem in empcionem quinque celdrarum trium bollarum et duorum modiorum carbonum fabrilium cum naulo cuſtuma et *lie uncoſtis* extenden. ad viij li. xij ſ. x d. Et allocatur eidem per empcionem decim cadulorum pro geſtando cemento lathomis vj ſ. j d. Et allocatur eidem in *lie cariagis* carbonum per tempus compoti Domino abſente ^{or} iij ſ. vj d. Et allocatur eidem per ſolucionem factam ſervientibus circa *lie bulwark* et *Croy* pro municione earundem iij^{xx}vij li. xvij ſ. ^{or} iij d. Et allocatur eidem per liberacionem factam ſervo Alexandri M^cDowale carpentarii ad ſeptem ſeptimanas cum Magiſtro ſuo ut

fupra xiiij ſ. Et allocatur eidem in expenſis factis circa collectionem decimarum garbalium de Cardynes, Lital Dunkeld, Inchewyne et Fandowy in Anno Domini j^m v^e x^{mo} et anno xj^{mo} *lie croke* x ſ. j d. Et allocatur eidem in facturam undecim traharum ad ducendas decimas predictas de *croke* anni 7c^e v^e xiiij, iij ſ. viij d. Et allocatur eidem in expenſis Domini Jacobi Henrifone et ſecum fervitorum circa ligna fraxina pro tabulis ad *lie Daweling* woltarum pontis xliij ſ. Et allocatur eidem per empcionem in *lie draff* empt. ad verudos ab octavo Julii anni 7c^e v^e xij^m in diem vigefimum primum Septembris ejuſdem anni et ab hinc per eſtatem hoc anno et anno 7c^e v^e xiiij in diem xvij Auguſti ejuſdem anni in defectu avenarum xxij ſ. v d. Et allocatur eidem per empcionem equorum verudorum ad redas ſeu bighas et primo ex foro Dunblaneni tres equi precio treſdecim lib. octo ſolid. iij d. Et a Johanne Blair unus equus precio quinque librarum et a David Balbirny unus equus precio quinque mercarum et a Willielmo Scot duo equi precio novem librarum ſex ſolidorum et octo denariorum et a Willielmo Seir unus equus precio quatuor librarum extenden. in totali pecunia ad xxxv li. xix d. Et preſentabantur per diverſos equi viz per Dominum Johannem Tiry vicarium de Crawford unus equus groſſi coloris et per Dominum Thomam Greig prebendarium de Alytht unus equus nigri

coloris et per Thomam Towris unus niger equus et per Dominum Comitem de Ergyll unus equus pile *lie foyr* et per Johannem Ros juniorem de Cragy unus equus albus et per Dominum Johannem Stewart militem unus equus albus et per Decanum Dounkeldenfem tres equi nigri et per Vicarium de Retray Dominum Willielmum Lacok unus niger equus. Et allocatur compotanti per liberacionem factam fervis dictorum Domini Comitis et Johannis Ros presentantibus dictos equos ^{or} *iiij* s. Et allocatur eidem per empcionem centum triginta sex *Widdeis* ferri vario precio in pecunia *xxiiij* li. *xvj* s. ^{or} *iiij* d. Et allocatur eidem per empcionem triginta unius petrarum ferri cum portitura ex Dunde ^{or} *iiij* li. *xvj* s. *vij* d. Et allocatur eidem per empcionem quingentorum et duorum ferrorum equinorum vario precio, per tempus compoti *x* li. ^{or} *iiij* s. *x* d. Et per empcionem triginta sex ferrorum cum clavis *ix* s. Et allocatur eidem in ferracionem rotarum redarum primo apud Pertht in singulis ferreis necessariis *iiij* li. *xvij* s. *vj* d. Et allocatur eidem per empcionem viginti septem vangarum ferreorum vario precio *xiiij* s. *vj* d. Et allocatur eidem per empcionem triginta septem ferra vangarum precio omnium *xvij* s. *vij* d. Et sex ferra vangarum precio *iiij* s. *vj* d. Et allocatur eidem per empcionem octuaginta unius ferrorum tribulorum precio *xxvij* s. *vj* d. Et duodecim ferrorum

eorundem iiij s. Et allocatur eidem in refectionem ferreorum
 lapidii, quibus usus est Johannes Queryeor citra ferrinam dat.
 fabro de Sloiggynehoill allocat. et allocan. graniterio xvj s. ij d.
 Et allocatur eidem in refectionem ferreorum Johannis Wiys per
 tempus compoti viij s. ij d. Et allocatur eidem per liberacionem
 factam Thome Ramfay fabro conducto per annum ab undecimo
 Novembris anni ^{te} v^c x^{mi} in eundem diem anno revoluto capien.
 in anno citra bollam ferrine in mensē triginta solidos feodi pro
 illo anno xxx^{ij} s. Et eidem postmodum non conducto sed capien.
 pro frustri ferri laboracione sex denarios in labore centum tresdecim
 cum dimedio frustri in pecunia lix s. viij d. Et eidem in fer-
 racionem equorum verudorum ex propriis ferris et clavis aliqui-
 bus existen. suis extenden. in totali numero ad sexinginta tresdecim
 capien. pro qualibet ferracione obulum xxv s. vj 3 d. Et
